ANATOMES CONCILII TRIDÉNTINI ASSERTÆ SPECIMEN.

Qua decem argumenta, Præſentiæ Subſtantiali Corporis & Sanguinis Domini in Euchariſtia oppoſita, ab inſtantiis D. Caroli *Baldingeri* defenſa, exhibentur.

Authore

JOH. HENRICO HEIDEGGERO, SS. Th. D. & P. P.

TIGURI.
Typis Davidis Geſſneri.
M.DC.LXXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO I.

ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ

De

PRÆSENTIA CORPORIS ET Sanguinis Domini in Euchariſtia.

Breviarium.

Diſſertationis occaſio. 1. *Cauſæ & ratio inſtituti.* 2. *Præfatio Adverſarii ad examen revocata. Diſſidiorum Helveticorum cauſa.* 3. *Anatomes C. T. titulus defenſus.* 4. *Cardinalis Pallavicini Hiſtoria Concilii Tridentini qualis?* 5. *Tricæ Adverſarii circa quæſtionis ſtatum.* 6. *Præſentia Sacramentalis in euchariſtia veritas & realitas aſſeritur.* 7-14. *Status quæſtionis formatur, & argumentum diſtribuitur.* 14. *Argumentum* I. *corporali præſentia ex verbis propheticis Chriſti Matth. XXIV. 23-27. opponitur.* 15. *Tres exceptiones Adverſarii eliduntur, & argumenti noſtri nexus inſolubilis oſtenditur.* 16-19. *Argumentum II. ex verbis & hiſtoria inſtitutionis Euchariſtiæ fusè aſſeritur, veluti* primò, *quòd Chriſtus teſtatur, corpus ſuum in euchariſtia præſens eſſe, quâ fractum, ſanguinem quâ ſuſum.* 19. *Exceptiones Adverſarii retunduntur.* 20. 21. Secundò, *quòd Chriſtus docet, corpus & ſanguinem ſuum in Cœna ita adeſſe, quatenus panis corpus, et vinum ſeu genimen vitis ſanguis eſt.* 22. *Ventilata reſponſiones Fratrum.* 23. 24. Tertiò *quòd panis ita corpus eſt, ſicut calix Novum Teſtamentum: calix autem non ita Novum Teſtamentum eſt, ut hoc in illo localiter includatur.* 25. *Exceptionibus occurritur.* 26. 27. Quartò *quòd id, quod bibendum Chriſtus dedit, diſertè vocatur genimen vitis. quale quid propriè non eſt ſanguis.* 28.

Digitized by Google

Tres Adverſarii exceptiones diſcutiuntur. 29. 30. 31. Quintò *quòd id, quod in Euchariſtia præſens eſt, diſertè vocatur ἄρτος panis. 32. Bellarmini & Adverſarii παρερμηνεία refelluntur. 33.* Sextò *quòd Chriſtus in S. Cœna edere panem corpus ſuum, & bibere poculum, ſeu vinum ſanguinem ſuum juſſit εἰς ἀνάμνησιν, ad recordationem ſui, usque dum venerit. 34. Exceptioni occurritur. 35. Argumentum generale III. inde, quòd panis, qui in Eucharia frangitur, κοινωνία communio corporis Chriſti appellatur, depromptum proponitur. 36. & à reſponſionibus D. Parochi aſſeritur. 37. 38. Arg. IV. ex loco Joh. III. 13 proponitur. 39. & ab exceptionibus, prælibata accurata colloquii Chriſti cum Nicodemo expoſitione, vindicatur. 40. 41. Arg. V. ex verbis Chriſti Joh. VI. 63.* Caro mea nihil prodeſt, &c. *formatur. 42. Inſtantiis Adverſarii fit ſatis. 43. 44. 45. An modus manducationis oralis, quem Adverſarii tuentur, cum Capernaitico paria faciat? 46. 47. Arg. VI. ex corporali aſcenſione Chriſti in Cœlum, adducitur. 48. & fusè defenditur. 49-54. Viſio S. Pauli Act. IX. 3. 4. 5. diſceptatur. 49. 50. Verba Chriſti Joh. VI. 61. 62.* Hos vos ſcandalizat, &c. *à corruptela Adverſarii liberantur. 52. 53. Arg. VII. à natura & proprietate corporis Chriſti petitum proponitur. 54. Reſponſiones Adverſarii excutiuntur. 55. 56-59. Quo ſenſu Chriſtus Joh. XX: 19-26. ingreſſus dicatur θυρῶν κεκλεισμένων, clauſis foribus? 58. Arg. VIII. à πολυτοπίας impoſſibilitate arceſſitur. 59. Reſponſiones Adverſarii ad examen revocatæ. 60-63. Exemplum animæ, quæ in toto corpore & ſingulis ejus partibus tota eſſe ſtatuitur, ventilatur. 60. An corpus πολύτοπον unitatem non amittat? 61. Exceptio adverſus locum Act. III. 21. diſcutitur. Quo ſenſu Chriſtus nobiſcum ſit ad conſummationem usque Seculi? 62. Arg. IX. ex pia antiquitate proponitur. 63. Origo erroris ſtrictim attingitur. 64. Quî factum, ut fides corporalis præſentia, caput difficilimæ, in eccleſiam inveheretur? 65. Quî factum, ut Scholaſtici*

in

Digitized by Google

in errorem recens introductum adeò proni conſentirent? 66. Formula veterum, Surſum corda, *explicata & vindicata. Juxta eosdem Euchariſtia eſt Aquilarum, non graculorum. 67. Vindicantur teſtimonia S. Baſilii. 68. Chryſoſtomi. 69. Auguſtini. 70. Ambroſii. 71. S. Patribus concors ſententia ſtat, Chriſtum in Euchariſtia eſſe, ut in figura, ſigno, &c. 72. Arg. X. inde petitum, quòd unum idémque corpus juxta Thomiſtas ne per miraculum quidem in pluribus locis eſſe poſſit circumſcriptivè: adeóque, juxta Scotiſtarum inde deductam conſequentiam, multò minùs etiam per miraculum in uno loco circumſcriptivè, in altero penetrativè eſſe poſſit, producitur. 73. & adverſus D. Parochi inſtantias accuratè defenditur. 74. 75. 76.*

I. PLacuit non ita pridem D. *Carolo Baldingero,* SS. Theol. D. & Eccleſiæ Badenſis Parocho ac Canonico, ſua & Fratris defuncti *Bernhardi Baldingeri*, de *Reali & ſubſtantiali corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtia Præſentia*, meletemata, tum Venerandi & Nobiliſſimi quondam Theologi noſtri, *D. Ioh. Rodolphi Stukii*, cujus memoria eſt in flagrantiſſima benedictione, judicio ea de re Orthodoxo, quo ſeptendecim ante annos Reſponſionibus ejus occurrerat: tum meis quoque rationibus in Anatome Concilii Tridentini adverſus corporalem præſentiam allatis, oppoſita, publicam in lucem extrudere. Ita autem comparata ea meletemata ſunt, ut in plerisque nec candorem, nec eruditionem, nec humanitatem, quam ubiq; genius ejus ſpirat, deſiderare jure meritóque potuerim.

II. Equidem in votis meis unicè erat, uti à moleſtis hiſce certaminibus, quæ nec grata omnibus, & civili paci à nonnullis noxia judicantur, & in quibus lis ex lite ſeritur, ac abyſſus abyſſum invocat; citra præjudicium veritatis, cujus apud bonos omnes palmaria cura eſt, tutò tandem quieſcere liceret. Verùm apparet ſatis, hoc Adverſario illi conſilium fuiſſe, ut unico velut in guſtum

Digitized by Google

edito ſpecimine, integrum Anatomes Concilii Tridentini opus profligâſſe cenſeretur. *Si enim*, ita verba ejus habent Præfat.b. 2. *hanc unicam quæſtionem legeris, & quàm valido ictu Concilium Tridentinum feriat, ac percutiat, attentiùs conſideraveris, facilè, quid de reliquis omnibus tibi ſentiendum ſit, concludes.* Proin gravis mihi neceſſitas hanc provinciam injunxit, ut ſpecimen iſthoc probè expenderem, & ad immotos veritatis Divinæ calculos exigerem, quò liquidò pateret omnibus, veritatem integram, quam Anatome tuetur, immotam & inconcuſſam in arce ſua conſiſtere. Pietas quoque flagitat, ne deſim piis manibus τȣ̃ μακαρίτȣ Venerandi Stukii, qui ſuperſtes patrio affectu me dilexit, & pluribus beneficiis mactavit. ne cætera ejus luculentiſſima in eccleſiam merita commemorem. Præterea nec de re levi, aut umbra ſuberis quæſtio heic inſtituitur, ſed de re ardua certè, magníque momenti. Sublata præſentia corporali de univerſo ferè Papatu, Miſſa certè & Sacerdotio, cui tanquam præcipuo fundamento ille innititur, conclamatum eſt. Unde Perronius Cardinalis in Epiſtola ad Regem Angliæ ſcribere non dubitavit, ſi agnoſcatur realis Chriſti in Euchariſtia præſentia, & ſacrificii veritas, de cœteris facilem fore conventionem. Denique nec fas piúmque eſt, ut quam veritatem tot glorioſi & καλλίνικοι Martyres noſtri, animæ pientiſſimæ, in quos propterea ferro flammáque non ſemel diris modis ſævitum eſt, ut olim, ita & tum carnali filio ſpiritualem perſequente, ſanguine ſuo, non diligentes animas ſuas uſque ad mortem, ſtrenuè obſignârunt, eam nos, qui per Dei ſtupendam gratiam adeò exoptatis halcyoniis fruimur, & confiteri ingenuè, & fortiter aſſerere, dedignemur. De cœtero impensè mihi de eo gratulor, quòd Adverſarium nactus ſim doctum, probum, & niveis moribus; qualem & amici prædicant, & ſcripta arguunt, præditum. Contendam viciſſim per Dei gratiam, ut cum eo paria me feciſſe, agnoſcere poſſit: útque, ſiquidem

Spiri-

Spiritus Dei ipſi oculos illuminatos gratiosè impertiri dignabitur, abjecto, quo tenetur, errore, Regiam in veritatis ſemitam concedat.

III. Præfatio Adverſarii nonnulla παρέργως ὁδὸν diſcutit, quibus diſceptandis ut immoremur, nec cauſæ, nec noſtrâ multum refert. Diſſidiorum Helveticorum cauſæ à religionis diverſitate ibi arceſſuntur. Meminiſſe tamen conveniebat, ante Papatum à potiori parte in timore Dei deſertum, abundè quoque diſſidiorum ſacrum Helvetiæ corpus exercuiſſe. Fatemur interim, haud dubiè Evangelium Chriſti, ſi purum illud, illibatum & à traditionum humanarum fermento defœcatum, proni omnes exoſcularentur, quámque Chriſto, unico eccleſiæ Regi, capiti & Domino, debent, gloriam, bona fide cederent, diſſentientes animos arctiori nexu adſtricturum. Quod ut quandoque eveniat, Deum toto pectore veneramur, ut pro efficacitate roboris ſui cœleſte ſalvificæ fidei donum errantibus gratiosè largiatur, & ſincerum affectum amoris Chriſti in nobis omnibus potenter excitet! Atque eodem etiam aſſertio veritatis, quam heic ſuſcipimus, aurigatur.

IV. Indignatur mihi D. Parochus non parùm, tum in Præfatione, tum alibi, quòd Anatome Concilii Tridentini præfert, in ea *totius Papatus Tridentini nervosè refutati & convicti compendium exhiberi.* Ita totum Papatum à me uno homuncione audacter provocari, quin & epinicion ante victoriam cantari, mihi improperat. Equidem ſola bonæ cauſæ fiducia, non animus cuiquam inſultandi, vel quenquam provocandi, à qua κενοδοξίας me alienum profiteor, verba illa expreſſit. Nihil à me actum, ſi argumenta à me producta non convincunt, hactenus videlicet, ut cum ſolida ratione contradici non poſſit. Neque meo heic honori litare volui, ſed veritatis, quæ ſemper eſt πανδαμάτωρ gloriosè victrix. Certus autem ſum, quoad rei ſummam ex Dei verbo argumenta φερόνικα, cùm manifeſtatione veritatis ad omnem conſcien-

tiam, à me propoſita eſſe. Contradicentium verò ſtrophas ejuſmodi eſſe, ut ſolidè diſcuti poſſint, hoc ipſum ſpecimen ad liquidum, uti confido, perducet, & ſimul reliquorum fidem muniet.

V. Ex quibus porro fontibus Concilii Tridentini hiſtoriam derivaverim, ipſa Anatome palam profitetur. Petrus Suave Polanus, hoc eſt, Paulus Sarpius Venetus, inter alios, uberrimam materiam ſuppeditavit. Hiſtoriæ ejus *ἀξιοπιστίαν* prægnantibus rationibus ante me Pater Fulgentius, Adam Neutonus ejus Interpres, Stanislaus Felic, Cæſar Aquilinus, Pontificiæ communioni addicti omnes, & clariſſimi nominis Viri, non *veritatis oſores*, uti temerè eos D. Parochus vocat, vindicatum iverunt. Cardinalem Pallavicinum fruſtra oggerit D. Parochus, innixus *judicio prudentiſſimi Domini ex Reformatis; apud quem*, inquit, *hos libros Cardinalis Pallavicini primò vidi, qui, veritatem faſſus, eos maximi æſtimavit, hiſtoriam autem Suavis, utpote de pluribus erroribus convicti, nihili fecit.* Dubitari forte poſſit, an ita res habeat: &, ſi omnino res ita habet, an *Dominus* ille, hac quidem in re, *prudentiſſimus*, an *Reformatus* fuerit. Dicimus cum propheta Jerem. cap. XXIII. 28. מה לתבן את הבר *quid palea cum tritico?* Perhumaniter autem rogatum velim D. Parochum, & unâ Virum illum, quem teſtem inducit, uti attentè & conſideratè, *ἄνευ προκρίματος*, legere dignentur Notas Sexaginta quatuor Morales, Cenſorias, Hiſtoricas, ad Inſcriptionem, Epiſtolam ad Lectorem, Approbationem & capita tredecim introductionis ad Hiſtoriam Concilii Tridentini P. Sforciæ Pallavicini, authore *Stanislao Felic*, Viro doctiſſimo, & Romanæ eccleſiæ haud ignoto aſſecla, Coloniæ A. 1664. editas. Quid diſtent æra lupinis, vel inde liquidò cognoſcent. Ex quo tempore Anatome prodiit, reddita mihi eſt ipſa Pallavicini Hiſtoria, à *Ioh. Baptiſta Giattino* Panormitano, ex Italico idiomate in Latinum converſa, & ſuperiori demum anno Antuerpiæ impreſſa, quæ lecta nunc judicium Stanislai Felic & Cæ-

ſaris

Digitized by Google

ſaris Aquilini de ea, in loco ab me allegatum, abunde confirmat, uti occaſione poſtulante, σὺν θεῷ καὶ παλάμῃ, planum facturi, & viri illius ψευδοπλάσματα in aprico uberiùs collocaturi ſumus. Sed hæc obiter. Nunc ad inſtitutum venimus.

VI. Circa controverſiæ ſtatum mirè tricatur D. Præpoſitus pag. 1-9. ut perperam à Ven. D. Stuckio eum conſtitutum eſſe evincat. Pius lector vix aliud ibi, quàm logomachiam inanem reperiet. In diſtinctione quoque præſentiæ corporis & ſanguinis Chriſti *ſpiritualis, ſacramentalis & corporalis* ab me explicata, non pauca ipſe D. Parochus probat & admittit. Reliqua autem, quibus in orthodoxam explicationem animadvertit, ejusmodi ſunt, ut innitantur dubiæ & ἐξαγωνίῳ hypotheſi corporalis præſentiæ, quam nos ſolidis argumentis impugnamus & configimus.

VII. Multùm quidem ille deſudat pag. 236. &c. uti comprobet, *ſacramentalem* & *ſymbolicam* præſentiam, prout illa à nobis explicatur, *veram* & *realem* cenſeri dicíque non poſſe, niſi agnoſcatur, corpus & ſanguinem Chriſti ſecundum *realem entitatem*, adeóque ἀδιαστάτως in Euchariſtia, ſpeciebus ſymbolorum localiter unitum, præſto eſſe. Quo ſenſu autem *veram* & *realem* corporis & ſanguinis Domini præſentiam ſtatuamus, explicare non omiſimus. *Vera* & *realis* eſt, hoc eſt, non umbratica, φανταζομένη, imaginaria. *Res* & *veritas* ſterili & nudæ figuræ, corticibus ſine nucleo, nudis & vacuis ſignis Chriſto orbatis, opponitur. Sterilis certè & nuda figura benedicta ſymbola in euchariſtia non ſunt, ſed optimorum fructuum fœcundiſſima. Nam unà cum illis fideles corpus & ſanguinem Chriſti Spiritu ac mente credendo manducant & bibunt, atque inde fiunt Deo & Servatori ſuo magis magíſque conjuncti: gratiis & donis cœleſtibus ditantur, fitque illorum ſalus in dies plenior & opulentior. Hæc Adverſariis noſtris, quibus nihil fœcundum, niſi quod portentis & tranſſubſtantiationibus

nibus turget, ſterilia, nuda, caſſa: at piis certè cœleſtibus & incomparabilibus divitiis gravida ſunt.

VIII. Apud Metaphyſicos *rem* & *veritatem* πολλαχῶς λέγεσθαι, notorium eſt. Quid impedit autem *verè*, *realiter* præſens dici, quod præſens eſt non in umbra duntaxat, inani figura, nudo ſymbolo, ſed per fidem & Spiritum S. in ſymbolo tum validè ſignificante, tum obſignante, tum in legitimo uſu fidei exhibente. Eſtque fides ὑπόστασις καὶ ἔλεγχος eorum, quæ creduntur, finitore Apoſtolo Hebr. XI. 1. quia ὑφίστησι ſiſtit & repræſentat ea, quæ creduntur & ſperantur, haud aliter, ac ſi jam illa poſſideret. Unio quoque noſtra cum Chriſto, quæ per fidem fit, veriſſima & realiſſima eſt, non obſtante intercapedine locorum. Neque id abeſſe dici poteſt, quod intra ſphœram fidei continetur. Spiritus S. autem animabus fidelium & fundum & fructus, hoc eſt, corpus Domini traditum, & ſanguinem ejus fuſum pro nobis, beneficia item omnia, quæ morte ſua nobis peperit, per externa ſymbola, & verbum promiſſionis offert, donat, applicat, & propria dicat, ut in fide indies robuſtiores Chriſto magis magíſque uniamur. Quod autem ita offertur, donatur, applicatur & per fidem recipitur, utique *verè* & *realiter* præſens eſt animabus fidelium, quæ per ſpiritualem hunc cibum & potum vera fide aſſumptum, Chriſto viciſſim uniuntur, reficiuntur, & ad vitam æternam aluntur.

IX. Vera utiq; & realis eſt corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtia, quam prę eunte Dei verbo docemus, pręſentia. A veris enim & realibus cauſis, Spiritu S. & verbo ac Sacramento exhibente, & fide recipiente, exiſtit. Per eam verè & realiter Chriſto, etiam homini, unimur, σύμφυτοι & σύσσωμοι cum eo, *complantati* & *concorpores* reddimur, ſalvifica fide totum Chriſtum exceptum in ſuccum & ſanguinem convertente. Mediante ea Chriſti corpus pro nobis in mortem traditum verè & realiter præ ſenſu noſtro ſpirituali exiſtit. Quòd ſi præſentia illa, qua objectum

ctum

ctum fidei, localiter abſens, tamen pręſenſu ſpirituali eſt, & etiam in ſenſu ſpirituali, vel in anima fidelis, poſt apprehenſionem & applicationem factam, non realis, ſed falſa & imaginaria eſt: falſa etiam & imaginaria erit ſpiritualis manducatio, quæ ſine præſentia vera ne concipi quidem poteſt. Haud arbitror, negari à quoquam poſſe, ea, quæ videmus, rectè nobis *præſentia* dici; ex ea ſaltem parte, qua oculis noſtris repræſentantur. Et tamen quod videmus, neceſſum eſt certo aliquo ſpatio ab oculis noſtris abſit: alioqui videri non poſſet. Cùm ergo efficitur vi fidei, ut corpus Chriſti, quod ſubſtantiâ in Cœlo eſt, mediante Spiritu, verbo & Sacramento ponatur in conſpectu mentis noſtræ, quid cauſæ eſt, cur non etiam dici poſſit, illi verè præſens eſſe? Quod enim natura dedit cogitationi & oculis, ut ea, quæ longè abſunt, conſtituant ſibi præſentia, id Deus multò magis & efficaciùs dedit fidei. Cœterùm cùm noſtra cum Chriſto communio tota ſpiritualis ſit, nec corporis ſenſibus κυρίως, ſed anima peregatur: non utiq; ex locorum propinquitate, ſed ex relatione illa, quam anima cum Chriſto habet, ut toto eo frui poſſit, æſtimari debet. Unde non corporum contactu, ſed à noſtra quidem parte fide, à parte autem Chriſti Spiritu ejus perficitur. Hęc enim efficiunt, ut Chriſti corpore ac ſanguine, ejúſque merito paſci ſaturaríque liceat. Accedit ſymbolorum præſentia, externíque pignoris contrectatio, quæ fidem noſtram eximiè provehit. Ita ergo Chriſtus in Euchariſtia præſens eſt non localiter, nec corporaliter (objectum enim ſpirituale, quale hic Chriſtus maximam partem conſideratur, corporeo ſenſu non magis percipi, quàm ſpiritus in corpus converti poteſt) verè tamen & realiter, non imaginariè & *intentionaliter* duntaxat, uti paſſim D. Parochus objectat.

IX. Si Te, D. Paroche, interrogavero, quorſum ponenda ſit hujuſmodi, quam fingis, præſentia: non aliud, quantum arbitror, mihi reſpondebis, quàm ut corpus & ſanguis Chriſti nobis conjungatur. At cùm iſtius conjun-

ctionis

ctionis totum opus cœleſte ſit ac ſpirituale, ad hoc, ut locum habeat præſentia, pro qua tantopere pugnas, neutiquam requiritur. Quid enim hic aut contactu phyſico, aut ulla propinquitate locorum opus eſt? Sine ea & conjunctionem cum Chriſto, & ſalutem dari, inficias, ita confido, iveris nunquam. Quæſo enim, cùm Sacræ literæ prædicant, non ſolùm nos Chriſto copulari, ſed etiam cum fratribus eſſe invicem membra, ita ut ſimul unum corpus efficiamur: nonne fatebere, eos fideles, qui ſunt in Helvetia, Germania, Gallia &c. nobis ita conjunctos eſſe, ut ſint nobiſcum invicem membra? Quòd ſi iſtam unitatem, qua per Chriſtum in unum connectimur, locorum interſtitium & contactus phyſicus non impediunt, cur abſque corporali præſentia negaveris, Chriſto nos verè conjungi? Et, ut planiori ſimili utar, vir & uxor in S. Literis una caro & ſunt & dicuntur. Atque adeò proprium eſt hoc ſimile rei, quam tractamus, ut Paulus Epheſ. IV. 28. 29. &c. ita corpus Chriſti eccleſiam faciat, ſicut uxor eſt os & caro viri. Et tamen illam carnis inter conjuges unitatem nihil impedit, ſi vir & uxor ad tempus locorum intervallo disjungantur. Non eſt igitur, quòd unitatis cauſa cum Chriſto ineundæ, corpus & ſanguinem ejus adeò conemini ſub ſpeciebus panis & vini operire. Sine tali figmento verè Chriſto conjungimur, Euchariſtia eſt integrum verúmque Sacramentum, & verba Chriſti dicentis: *Hoc eſt corpus meum &c.* ſibi veriſſimè conſtant. Ad hæc igitur ſtabilienda corporali & ſubſtantiali præſentia minimè opus eſt. Et qualis tandem illa, quam fingitis, præſentia eſt? An permanens, & durabilis, quæ Chriſti corpori nos perpetim agglutinet? Neutiquam ſanè, veſtra ipſorum ſententia. Bellarminus enim *lib.* 1. *de Miſſa cap.* 27. præſentis in Miſſa corporis Chriſti ſacrificationem definit, *quòd per conſecrationem corpus Chriſti in altari collocetur, & ſic Deo offeratur, & ad veram, realem ac externam mutationem & deſtructionem ordinetur: conſequatur*

Digitized by Google

ſequatur deſtructio, quæ fiat per manducationem Sacerdotis ſacrificantis, per quam corpus amittat eſſe Sacramentale, & cibus ſenſibilis eſſe deſinat. Totum igitur præſentiæ coporalis myſterium, totus religionis Pontificiæ apex, quæ tanta cum pompa, tanto cum horrore peragitur, in eo eſt, quòd ad vocem ſacrificuli incipit corpus eſſe in altari, & eo in os ſpecies ingerente, deſinit eſſe in altari, atque incipit eſſe in ore & ventriculo, & mox deſtructis ſpeciebus *ibi eſſe deſinit.* Hæc eſt illa præſentia & communio corporis Chriſti, hic cibus manens in Seculum, & vitam dans mundo! *O cæcas hominum mentes!* Nobis verò ſufficit quærere ſuperna, *ubi Chriſtus eſt*, unde veniet ad judicium, ut nos, jam propter veram & realem communionem cum ipſo, quam ex parte Dei offerentis Spiritus, verbum & Sacramentum, ex parte noſtra fides ἀνυπόκριτος operatur, collocatos in cœleſtibus, ad ſe aſſumat.

X. Ad pudorem & confuſionem Adverſariorum pertinet, quòd pro ſubſtantiali illa præſentia pugnantes, quicquid dicant faciantve, nolint velint, aliter haud ſe explicare poſſunt, quin ex ipſa eorum hypotheſi ſequatur, corpus Chriſti *ſpiritualiter* tantùm eſſe in Euchariſtia. Primùm quid ſibi velint, neſciunt. Dici enim poſſe ajunt, Chriſti corpus eſſe in Euchariſtia verè, realiter & ſubſtantialiter, ſed non *corporaliter.* Quinimò idem dicit Bellarminus *de Sacram. Euchar. lib.* 1. *cap.* 2. quòd etiam dici queat eſſe *ſpiritualiter*, ut ſcribit Bernhardus, in hoc Sacramento exhiberi nobis veram corporis ſubſtantiam, *ſed ſpiritualiter, non carnaliter.* Mox tamen addit, non videri ſibi nimis frequentandum eſſe hoc verbum *ſpiritualiter.* Nec minoris eſſe periculi, ſi ſæpiùs quis in hoc Sacramento utatur voce *corporaliter.* Quid igitur faciendum? Aut quomódo in Sacramento erit Chriſtus, ſi neque *corporaliter*, neque *ſpiritualiter* eum ibi eſſe, tutò dici queat? Concilium Tridentinum definit, *verè quidem, realiter et ſubſtantialiter ſub ſpecie rerum ſenſibilium idem*

con

contineri, non tamen juxta modum exiſtendi naturalem, ſed Sacramentaliter. Quomodo verò intelligunt illud *Sacramentaliter?* An planè, ut eſt in hoc Sacramento? Hoc nihil eſſet dicere. Quærendum enim ſemper relinqueretur, quomodo ſit in hoc Sacramento, & quid illud ſignificet. Æterna ſic eſſet petitio τῆ ἐν ἀρχῆ. Sed illud omnino referendum in genere ad formam & naturam, modúmque reliquorum Sacramentorum. Cùm igitur Chriſtus eſſe dicitur in Euchariſtia *Sacramentaliter*, id ita accipiendum eſt, ut in reliquis Sacramentis eſſe creditur, nempe ſpiritualiter, & per præſentiam Spiritus S. bona in Sacramento obſignata fidei vendicantis. An enim aliter eſt in baptiſmo? An in eo poſt conſecrationem fit mutatio ſubſtantæ? An Chriſtus in eo præſens eſt Sacramentaliter, hoc eſt, corpore ſuo ἀδιαςάτως & ſecundum propinquitatem ſubſtantiæ ibi præſente? Præterea cùm Adverſarii modum exprimere volunt, quo Chriſtus in Euchariſtia exiſtit, eum exprimunt, qui merè ſpiritualis eſt. Non enim certè convenit corporali, quatenus nec ſenſibus ibi percipitur, nec movetur, nec localiter continetur. In qualibet particula, vel puncti inſtar obtinente, eum indiviſibilem & totum contineri affirmant. At is modus exiſtendi nulli corpori naturali convenit, ſed ſoli ſpiritui. Ut enim in atomo hæreat ſine ſitu ac diſpoſitione partium, ſine loco, atque ut atomum & ipſum ſit totum, Chriſti corpus nunquam habuit, neque etiam num habet, quocunque modo ſpectetur. Denique ex ſententia Adverſariorum nec guſtu ſentitur tale corpus, nec videtur, nec tangitur, nec ulli ſenſui ſubjacet, nec ulla ſui parte αἰσθητὸν cenſeri, ſed νοητὸν, intelligibile totum, non ſenſibile credi debet. Et hoc quoq; ſpirituali, non corporali exiſtentiæ convenit. Annon igitur ſpiritu vertiginis laborant, qui pro ſubſtantiali præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia, tanquam pro aris & focis pugnant, præſentiam verò Spiritualem & Sacramentalem, qua ſpiritus mediante verbo & Sacramento corpus

Chriſti

Chriſti fidei exhibente, exibilant, neque tamen alium modum præſentiæ corporis Chriſti, quàm ſpiritualem, ſe agnoſcere reapſe teſtantur?

X. Fruſtra verò regerit D. Parochus *p.*236. eam, quam nos agnoſcimus, præſentiam, vacua ſigna & figuram nudè adumbrantem ſeu ſignificantem non magis excludere, quàm concionem, quâ fidei myſteria proponuntur & declarantur. Quod ipſum quoque D. Præpoſitus adverſus Ven. Stukium *p.*75.76. urſerat. Etenim non umbram vel imaginarium quippiam, uti non ſine probro innuere videntur, ſed ipſum corpus & ſanguinem Domini præcipuum eſſe etiam concionis Evangelicæ objectum, ex concione Domini Joh. VI. abundè liquet. Euchariſtia verò Evangelii objectum non mutat, ſed magis illud confirmat, externa adjiciens ſymbola, oculis ſubjecta fidelibus, ut ita Evangelium, quod auditus propriè, teſte Paulo Rom. X. 17. objectum eſt, ad fidem magis animandam & excitandam, quodammodo viſibile reddatur. Unde S. Auguſtinus appoſitè admodum Sacramentum appellat *viſibile verbum*, Tract. 20. in Joh. ubi ejuſmodi Sacramenti γένεσιν tradit: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Accedente igitur verbo ad panem & vinum, fit Euchariſtia. Verbi autem nomine intelligitur illud inprimis, quod Sacramentorum animam, & nucleum, ac Evangelii ſummam rectè dixeris, videlicet *verbum promiſſionis*, in Euchariſtia quidem de communione corporis & ſanguinis Chriſti, & alimonia ſpirituali. Evangelium denique cum *vacuis ſignis* & *figuris meris* nihil conſtitutum habere, ſed ipſum quoque corpus & ſanguinem Domini offerre, vel inde liquet, quia idem quoque eſt ejus & fidei & objectum. Quod Evangelium proponit, fides amplectitur. Unde *potentia Dei* dicitur *ad ſalutem omni credenti*, Rom. I. 16. *νόμος πίστεως lex fidei*, cap. III. 27. *verbum fidei*, cap. X. 8. *ζῶν ὁ λόγος vivus ſermo*, Hebr. IV. 12. Fides porro non umbras meras, ſed verum corpus & ſanguinem Domini, in

in Evangelio quidem per audibile , in Sacramento fortiori modo per viſibile verbum oblatum , recipit , & in ſuccum ſanguinémque convertit. Viderint certè Viri illi, annon hac ratione & Evangelii præconium deprimentes, & nudas inanéſque figuras nobis ſine fine & modo exprobrantes , tum Evangelium ipſum probro afficiant, tum Chriſtum Dominum , cujus inſtitutionem religioſè ſequimur, calumniis inceſſant.

XI. Sapienter Philoſophi monent , omne quidem falſum depravare intellectum, ſed πρῶτον ψεῦδος, primam falſi cauſam infinitos errores gignere, quorum origo prima ritè cognita ſi tollatur, reliquis vitiis facilè occuri, imò eorum ramos omnes uno quaſi ictu amputari poſſe. Agedum igitur & nos demonſtremus πρῶτον ψεῦδος & primum πρόσκομμα eorum , qui veram conjunctionem cum corpore & ſanguine Domini per fidem reipſa fieri non agnoſcunt. In eo autem conſiſtit, quòd ſalvificæ fidei Divinam & excellentem ἐνέργειαν non expendunt , imò vix majoris illam æſtimant, quàm imaginationem quampiam, aut aliquid opinionis inſtar in illa facultate, quæ imaginatio & phantaſia dicitur , reſidens. Hinc enim eſt, quòd pertendere ſolent, id quod loco conjunctum non eſt, per fidem præeunte verbo Dei & Sacramento receptum, non *verè* & *realiter*, ſed *imaginariè* vel *intentionaliter* duntaxat præſens ſtatui. At longè aliter S. Scriptura ſtatuit de fide, per quam Chriſto conjungimur & juſtificamur , cùm dicit , illam eſſe πληροφορίαν, pleniſſimam *certitudinem* firmiſſimè promiſſiones in Chriſto apprehendentem, Col. II. 2. πεποίθησιν conſtantem *fiduciam* , 2. Cor. III. 4. θάρσος *fortem fiduciam* , Joh. XVI. 33. ἐλπιζομένων ὑπόστασιν *repræſentationem*, ſeu *ſubſiſtentiam* eorum, quæ ſperantur, Heb. XI. 1. per illam dari μονὴν *habitationem* Chriſti in nobis, Joh. XIV. 23. κόλλησιν *agglutinationem* 1. Cor. VI. 17. συσσωμάτωσιν *concorporationem*, ἁφὴν *commiſſuram* conjunctionis noſtræ cum Chriſto, Epheſ. IV. 16. σύμφυσιν *complantationem* in ſimilitudinem

mortis Chriſti, & reſurrectionis ejuſdem, Rom.VI.5. προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει *aditum cum fiducia*, Epheſ.III. 12. per quam ſimus συγκοινωνοὶ τῆς ῥίζης καὶ πιότητος τῆς ἐλαίας, *participes radicis ac pinguedinis oleæ*, Chriſti videlicet, Rom.XI.17. *induimus Dominum Jeſum Chriſtum*, ib. cap.XIII.14. adeò ut totus *Chriſtus in cordibus noſtris habitet per fidem*, Epheſ.III.17. Quòd ſi igitur Deus in verbo & Sacramento corpus & ſanguinem Chriſti animæ fidelium edendum & bibendum offert & repræſentat: ipſa verò fides per ὁμολογίαν & πεποίθησιν *aſtipulationem & fiduciam* ſuam corpus & ſanguinem Domini manducat & bibit, cui dubium eſſe poteſt, quin illi corpus & ſanguis Domini, etſi ἀδιαστάτως neutiquam conjunctum, intimè tamen, veriſſimè & realiſſimè συσσωματωθὲν, *concorporatum*, præſens & unitum cenſeri dicique debeat? Indignum profectò eſt Chriſtianis, fidei derogare efficaciam, per quam ea, quæ maximè diſtant, præſentiſſima tamen efficit: perinde ac ſi corpus & ſanguis Domini præſens ſtatui non poſſit, niſi ſimili modò præſens ſit, quo olim fabuloſa vetuſtas ſocios Ulyſſis intra viſcera Cyclopis præſentes fuiſſe confinxit. Annon inter homines ipſos ſibi preſentiſſimos, ſpirituum actiones, & præcipuè orta inde animorum concordia, carnali & corporea operatione, & inde producta corporum unione, longè perfectior & præſtantior habetur, & fructus adeò ac effectus maximè reales edit? Et qui olim Chriſtum è longinquo vera fide aſpectârunt & conſectati ſunt, utique veriùs, realiùs, diviniùs, excellentiùs eum præſentem habuerunt, quàm lictores, carnifices, truces & furibundi milites, qui lateribus ejus proximè adſtiterunt, & nefariis manibus Sacroſanctum ejus corpus contrectârunt, vulnerârunt, lacerârunt.

XII. Cæterùm qua corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtia præſentia, verâ ne & reali, an monſtroſa potiùs & phantaſtica, in Miſſa ſua potiatur D. Parochus, ejúſque complices, qui ex Euchariſtia & ſignum & rem

Digitized by Google

rem ſignatam determinant, calice benedicto clerum Dei defraudant, totam ſymbolorum ſignificationem tollunt, quia & ſignificationem corporis ut mortificati, & ſanguinis ut fuſi, uti explicationes eorum teſtantur; qui pro ſymbolo externo nuda, inertia & à ſubjecto ſeparata accidentia, pro corpore vero & naturali ſubſtantiam inviſibilem & indiviſibilem, adeóque *Non corpus*, ſomniantium delectamentum, fingunt, & Nihilum ſub Nihilo oſtentant, adorandúmque adeò proponunt; qui denique eam, quæ à Spiritu vivificante & fide proficiſcitur, præſentiam exſibilant, & ludos faciunt; ipſi certè viderint.

XIII. Verùm magis etiam liquebit de veritate hujus præſentiæ, ſi alienum & ἀνακόλουθον illum præſentiæ corporalis, quâ corpus & ſanguis Domini in Euchariſtia ſecundum loci indiſtantiam, & quidem inanibus ſymbolorum ſpeciebus unitum, præſens ſtatuitur, modum ſolidis argumentis, ab exceptionibus D. Parochi probè vindicatis, concuſſerimus. Tum enim confectum habebimus, vel præſentiam corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtia veram & realem omnino dari nullam, quod dictu blaſphemum foret: vel præſentiam tum ſpiritualem tum Sacramentalem à nobis explicatam, veram & realem omnino, at ad uſum Cœnæ Dominicæ ſalutarem abundè ſufficientem eſſe.

XIV. Quæritur ergo: *An corpus & ſanguis Domini in Euchariſtiæ Sacramento, ſub ſpecie rerum ſenſibilium verè, realiter, ſubſtantialiter, hoc eſt, ſecundum loci indiſtantiam præſens ſit?* Ita probè à me informatum eſſe quæſtionis ſtatum, ipſe D. Parochus non diffitetur. Et ajentem quidem ſententiam ita ille tuetur, ut argumentis meis, multis & verborum & inſtantiarum ambagibus, adeóque operosè, ut tres pagellas meas quindecim foliis integris convellere laboret, ſatisfacere contendat. Nos verò negantem decem argumentis aſſeruimus. Ea nunc repetere, & ab exceptionibus liberare animus eſt. Idque

faxo,

ſaxo, propitio Numine, breviter & ſuccinctè, ita quidem, ut primò argumentum quódque proponere, &, quandoquidem D. Parochus ita exigere, imò, uti verba ejus pag. 349. ſonant, *ſummè deſiderare* videtur, in Syllogiſmi evidentis formam redigere: poſt reſponſiones, quas D. Parochus longo verborum circuitu proſecutus eſt, quáſque etiam D. Præpoſitus Ven. Stukio τῷ μαχαίτῃ oppoſuit, bona fide colligere & compendi facere; (quid enim opus eſt nos, exiguo cum operæ pretio, tantas agere ambages?) denique ad eaſdem breviter dilucidéque reſpondere adnixurus ſim. Hoc penſo ubi defunctos fuero, ipſa quoque adverſæ partis argumenta proponere, & reſponſiones Ven. Stukii iiſdem perhibitas vindicare, mihi ſtudium erit.

XV. Primum argumentum corporali præſentiæ oppoſuimus ex verbis Chriſti Matth. XXIV. 23-27. *Tunc ſi quis dixerit vobis: Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, ne credite. Suſcitabuntur enim Pſeudo-Chriſti & Pſeudo-prophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, adeò ut, ſi fieri poſſet, etiam electos ſeducerent. Ecce prædixi vobis. Si igitur dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt, ne egrediamini. Ecce in penetralibus eſt, ne credite. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & apparet usque in Occidentem: ita erit præſentia filii hominis.* Vetat Salvator poſt aſcenſionem ſuam credere iis, qui dicunt: ὧδε ὁ Χριστὸς, ἢ ὧδε. *Hic eſt Chriſtus aut illic: in deſerto eſt, aut penetralibus*, ciboriis, (ſecundum humanam videlicet naturam. Secundum Divinam enim ubique ſemper præſentiſſimus eſt.) Unde v. 27. de ſe quâ *filio hominis* loquitur, additâ ratione, quâ vanitatem jactatæ præſentiæ ſuæ convincit, quia videlicet adventus illius futurus ſit clarus & lucidus, ut fulgur prodit ab Oriente, & lucet in Occidentem. Syllogiſmum ejuſmodi conficimus:

Quicunque non amplius in terra eſt hîc aut illic, non ἐν ταμείοις penetralibus, ciboriis, *cujúſque adventus*

in terram poſthac nullus erit niſi fulgidus, clarus & illuſtris, ſimilis adventui fulguris ab Oriente in Occidentem: is non eſt in ciboriis eucharisticis ſub ſpeciebus ſymbolorum, inviſibili modo præſens.

At Chriſtus poſt aſcenſionem ſuam iu Cælum ſecundum naturam humanam non ampliùs eſt in terra, hîc aut illic, nec in ciboriis: ejúſque adventus in terram nullus poſthac erit niſi fulgidus, clarus & illuſtris, ſimilis adventui fulguris ab Oriente in Occidentem.

Ergo Chriſtus poſt aſcenſionem ſuam in Cælum ſecundum naturam humanam non eſt in ciboriis eucharisticis ſub ſpeciebus Symbolorum inviſibili modo præſens.

Major propoſitio nititur regula Catholica *De nullo*, & trito illo Canone Logico: *A genere ad ſpeciem negativè conſequentia valet.* Qui in nullo terræ loco, ne inviſibili quidem modo præſens eſt: is ſub ſpeciebus etiam ſymbolorum terreſtrium in ciboriis Euchariſticis inviſibili modo præſens eſſe nequit. Minor eſt ipſius Salvatoris noſtri teſtatiſſima gnome, eíque oppoſita ſententia tribuitur ab ipſomet *Pſeudo-Chriſtis, & Pſeudo-prophetis.* quales haud dubiè indigetantur illi, qui verba illa, *Hic eſt*, ita dicunt, ut ſe vicarios Chriſti, omnem poteſtatem habentes, Sacerdotes peccata expiantes, Prophetas errare neſcios jactent & aſtruant.

XVI. Argumenti hujus clariſſimi & evidentiſſimi, quódque prophetiam continet eorum, quæ in eccleſia evenerunt, ictum ut exeat, varias ſe in partes Adverſarius vertit. Excipit igitur primò, *Chriſtum non univerſaliter & abſolutè vetuiſſe credere dicentibus:* Hîc aut illic Chriſtus eſt. *Nam & pias mulieres credere debuiſſe Angelo dicenti:* Surrexit, non eſt hîc. Præcedit vos in Galilæam. *Ibi* eum videbitis, *Marc. XVI. 7. Et diſcipulos vidiſſe & credidiſſe, quòd clauſis januis ſteterit in medio eorum, Joh. XX. 19.*

Digitized by Google

*XX.19. Et Thomam Apoſtolum vidiſſe Chriſtum & credidiſſe, Joh.XX. 25.29.pag.*247--250. Reſp. Hîc D.Parochus errore manifeſto tempora confundit. Argumentum quippe noſtrum, & verba Salvatoris in eo allegata evidenter loquuntur de tempore aſcenſionem Chriſti in Cœlum ſequente, arguúntque, ipſum poſt occupatum ſemel cœleſtem thronum nullo ampliùs modo in terra præſentem fore ante illuſtrem ad judicium adventum. At exempla à D.Parocho allata procul omni dubio in tempora aſcenſionem Chriſti antecedentia, quibus Chriſtus in terra conſpicabili modo ætatem adhuc degebat,incidunt. Prorſus igitur aliena ſunt & ἀπροσδιόνυσα.

XVII. Secundò reſpondet, *Chriſtum in verbis citatis agere de adventu ſuo manifeſto, publico & glorioſo ad judicium: occultam verò & privatam præſentiam, qualis in Euchariſtia ſit, non negare. Ita Legatum promittentem ſtato die publicum & illuſtrem adventum in urbem, privatum & cognitum ante diem illum adventum non negare. Qui negat circumſtantiam actus, non ilicò ipſum actum eum negare. pag.*250.251.252. Reſp. Inane hoc χρησφύγετον eſt. Etenim 1. occulta illa & privata corporis in Euchariſtia præſentia non nudè ſupponi, ſed probari debuit. Neque enim Chriſtus Matth.XXVIII.20. promittens ſuam uſque ad conſummationem Seculi præſentiam, occultam & inviſibilem præſentiam corporis, ſed Divinitatis & Spiritus ſui promittit. uti analogia fidei ſenſum hunc exigit, & veteres omnes agnoſcunt. Continuam certè ibi præſentiam promittit; at illa, quam in Euchariſtia ponunt, occulta & inviſibilis, temporum intervallis diſtinguitur & interrumpitur. 2. Imò Salvator occultam & inviſibilem eam præſentiam oppugnat, eo argumento, quia adventus ſuus non alius quàm ἐπιφανὴς illuſtris & conſpicabilis futurus ſit. Occultam & inviſibilem *ἐν ταμιείοις in penetralibus* præſentiam Pſeudoprophetæ aſſerturi erant, ſignis etiam & prodigiis aſſertioni ſuæ fidem facturi. At aſſertionem iſtam oppu-

gnat Chriſtus eo argumento, quia adventus ſuus nonniſi lucidus & illuſtris futurus ſit. Vicerint ſanè Pſeudo-Chriſti & Pſeudoprophetæ, ſi D. Parochi ſententia recipitur.

XVIII. *Tertiò* excipit D. Parochus: *Chriſtum in proprio ſenſu non vetare credere iis, qui dicunt de ſe:* Hîc eſt; *ſed iis, qui de Pſeudochriſtis & Pſeudoprophetis dicunt:* Hîc eſt Chriſtus. *Nempe diſcipulis quærentibus:* quod ſignum adventus tui & conſummationis Seculi? *v.3. reſpondere illum v.4.* Videte, ne quis vos ſeducat. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus; & multos ſeducent. *Et poſt prædicta futura prælia, peſtilentias, fames &c. tandem illum dicere, fore tribulationem magnam, qualis non fuit. Tunc addere v.23.* Tunc (*ergo non* nunc, *ante tribulationem*) ſi quis vobis dixerit: Ecce hîc eſt Chriſtus, aut illic; nolite credere. *Rationem ſubjungi verſ.24. 25.26. quia Pſeudochriſti & Pſeudo-prophetæ ſurrecturi, & ſigna ac prodigia daturi ſint &c. Clarè igitur loqui non de ſe, ſed de Pſeudochriſtis. Atque ita etiam textum à Chryſoſtomo explicari, pag.252-257.* Reſp. Manifeſta hæc eſt ϛρέβλωσις *detorſio* verborum Chriſti. Etenim 1. non dicit Chriſtus: Venient poſt me alii, qui ſe Chriſtos dicent, & prodigia facient in deſertis, in domibus, quibus nolite credere. Ita demum ſenſus foret, venturos, ut ipſe venerat, & Chriſtum ſe mentituros. Verſu quidem 5. ejuſmodi Pſeudochriſtos, nomen ſuum mentituros inducit. At hîc aliter prorſus loquitur. 2. Quin Chriſtus ſeductionem illam Pſeudoprophetarum v.27. confutat à conſpicabilitate & claritate adventus ſui deinceps expectandi. Innuit id particula γὰρ *enim:* Sicut *enim* fulgur &c. Quæ ratio directè oppoſita eſt doctrinæ de præſentia inconſpicabili. Sit enim antecedens hoc: *Chriſti adventus erit conſpicuus inſtar fulguris.* Quódnam erit conſequens idoneum ei antecedenti, & verbis Chriſti conveniens, niſi hoc: *Ergo Chriſtus non eſt in deſerto, in penetrali, ante adventum illum*

con-

conſpicuum? Particula γὰρ *enim* cauſalis & relativa clariſſimè arguit, de eodem Chriſto, *filio hominis* agi v. 23. 26. & 27. non ibi de Pſeudochriſto, hîc de Chriſto. 3. Atque id ipſum etiam colliqueſcit ex parallelis verbis Chriſti, quæ extant Luc. XVII. 20-24. Quærebatur ibi à Phariſæis de tempore adventus Regni Dei. Reſpondet Chriſtus *primò*, regnum Dei non venire μετὰ παρατηρήσεως *cum obſervatione*. uti illi videlicet imaginabantur; quemadmodum David, Solomon, alii Reges fuerunt μετὰ παρατηρήσεως. Deinde dicit, regnum Dei jam eſſe ἐντὸς *intra illos*, v. 21. adeóque Regem eccleſiæ jam veniſſe, & tamen non agnoſci, niſi ab illis, quibus datum eſt; & ſimul illos, qui ſui ſunt, non agnoſci, aut regnum παρατηρητὸν *obſervabile* moliri. Poſt ad diſcipulos converſus, indicat v. 22. ſe ab illis diſceſſurum, ita ut illum in carne ampliùs viſuri non ſint. Ea occaſione monet v. 23. ne ſcandalizentur. Fore quippe tempus, ut quidam regnum Dei jactantes μετὰ παρατηρήσεως, dicant, Chriſtum in terris *hîc, illic* eſſe, ſcilicet, ut hominibus de ea præſentia ex authoritate hominum dicentium conſtare poſſit. Illis opponit, adventum ſuum fore illuſtrem, v. 24. Sole meridiano clariùs apparet, Chriſtum ibi continuata ſerie de ſua præſentia loqui. 4. Probatio D. Parochi remota admodum & diſſita malè conjungit. Etenim Chriſtus primò quidem inde à verſu. 3. ad 14. uſque pertexit ſigna conſummationem Seculi portendentia; quæ ubi impleta fuerint, τότε, inquit v. 14. ἥξει τέλος, *tunc veniet finis*, nempe reſurrectio mortuorum & ultimum judicium. Deinceps Chriſtus præcedentem prophetiam ad inſtitutionem & præmonitiones varias accommodat, & quidem particularibus & diſtinctis temporibus. Et à verſu quidem 15. uſque ad 23. agit de fine Hieroſolymæ. A verſu autem 23. uſque ad 29. pandit præmonitiones concernentes tempus deſtructionem Hieroſolymæ ſubſequens. Id ſignificat particula τότε *tunc*, quaſi diceret: poſt illud tempus, cùm illud evenerit. Sicut autem in primo

mo tempore ſignum dat fugæ: ita hîc ſignum dat, quo excitati fideles concludere debeant, Pſeudoprophetas & Pſeudochriſtos (quos venturos ante finem Seculi v. 11. prædixerat) veniſſe. Signum illud eſt, ſi quis dicat: *Ecce hic Chriſtus, aut hic. Ecce in Eremo eſt* (ubi ſunt Monaſteria Eremitarum, Anachoretarum) *in penetralibus* (in Templis, quæ ſunt ταμεῖα promptuaria, in quibus ſunt loci cancellis ſepti, clauſtra obſerata, conclavia, in quibus Deus Miſſaticus aſſervatur.) Sanè etiam Chryſoſoſtomus à D. Parocho in cauſæ ſuæ ſubſidium advocatus, *homil. 77. in Matth.* obſervat, illud τότε *Tunc* non eſſe ἀκολουθίας τοῦ καιροῦ τῶν ἔμπροσθεν εἰρημένων, *conſequentia* (immediatæ videlicet) *temporum*, & connexionis *cum dictis præcedentibus*. 5. Neque verò mirum eſt, S. Patres ex hoc loco fidem inviſibilis præſentiæ in euchariſtia non labefactâſſe, utpote quorum tempore error ille incognitus, neque adeò prophetia implementum ſortita erat. Eſſe autem prophetias ante implementum quoad definitum ſenſum obſcuras, notorium eſt. Satis alioquin ad rem dixit S. Hieronymus ad h. l. ſcribens: *Stultum eſt, eum in parvo loco aut abſcondito* (quale ſanè ciborium eſt) *quærere, qui totius mundi lumen ſit.* 6. Ponamus tandem, Chriſto in verbis allegatis de Pſeudochriſtis ſermonem eſſe, non de vero Chriſto. Non obſtabit etiam hoc, quò minùs argumentum noſtrum validum ſit. Etenim Chriſtus Pſeudochriſtorum illorum occultam præſentiam refelleret utique eo argumento, quòd poſt aſcenſionem ſuam in Cœlum non alia præſentia, non alius adventus ipſius expectandus ſit, quàm ἐπιφανὴς, viſibilis & illuſtris, qualis eſt fulguris. Eadem igitur ratione caderet etiam præſentia Chriſti inviſibilis in Euchariſtia. qua ſalvâ argumentum Chriſti adverſus Pſeudochriſtorum occultam præſentiam neutiquam ſtringeret. Syllogiſmus igitur ejuſmodi conficeretur:

Qui non aliter præſens eſt, quàm modo viſibili & illuſtri, adeò quidem, ut à præſentia inviſibili & occultâ jactata

ctata Pſeudochriſti dignoſci debeant; is invisibili modo in Euchariſtia neutiquam præſens eſt.

At Chriſtus poſt aſcenſionem in Cælum ſecundum naturam humanam non aliter præſens eſt, quàm modo viſibili & illuſtri, adeò quidem, ut à præſentia invibili & occulta jactata Pſeudochriſti dignoſci debeant.

Ergo Chriſtus poſt aſcenſionem in Cælum ſecundum naturam humanam in Euchariſtia inviſibili modo neutiquam præſens eſt.

Videt igitur D. Parochus, quocunque ſe vertat, undique ſe conſtrictum teneri, & argumento hoc, meritò prima in fronte poſito, corporalem præſentiam *nervosè* refutatam eſſe. Si conſcientiæ ſuæ vim facere religioni duxerit, fatebitur utique, in Papatu reſonare illas voces αὐτολεξεὶ: *Chriſtus hîc eſt ſub ſpeciebus accidentium: illic eſt: in eremo,* (deſertis, Cœnobiis) *eſt: in penetralibus* (ciboriis, clauſtris Miſſaticis) *eſt*, ſecundum corporalem videlicet præſentiam, de qua ibi ſermo eſt. Fatebitur etiam, ibidem corporalem illam inviſibilem præſentiam aſſeri ſolere argumento à miraculis & prodigiis, quæ Divina jactantur, petito, qualia ſeductoribus fidem præſentiæ corporalis urgentibus Chriſtus hîc v. 24. tribuit. Fatebitur denique, in illis vocibus: *Hîc eſt, in ciboriis eſt*, adverſarios culmen religionis ſuæ poſuere, adeò ut non potuerit Chriſtus oculum Papiſmi directiùs impetere. At Chriſtus iterum αὐτολεξεὶ, inſtar benigniſſimi parentis, bis fideliter præmonuit: Μὴ πιςεύσητε, *nolite credere.* Quid ergo reſtat aliud, quàm ut in timore Dei depoſito errore, audiatur Chriſtus, & Pſeudoprophetarum vox οἰμώζειν & plorare jubeatur?

XIX. *Secundum* argumentum depromimus ex verbis & hiſtoria inſtitutionis Euchariſtiæ omni exceptione majoribus. Quandoquidem autem in iis eſt arx probationis noſtræ, ex iis diſtinctè, quæ ad rem faciunt, eruemus. Et *primò* quidem Chriſtus corpus ſuum in Eu-

euhariſtia pręſens eſſe teſtatur quâ *fractum, datum* in mortem, ſanguinem verò quâ *fuſum*. Diſerta ſunt verba Salvatoris: *Hoc eſt corpus meum* τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, *quod pro vobis datur*, Luc. XXII. 19. *Hoc eſt corpus meum* τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, *quod pro vobis frangitur*, 1. Cor. XI. 24. *Hoc eſt* αἷμά μου, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον, *ſanguis meus, Novi Teſtamenti, qui pro multis effunditur ad remiſſionem peccatorum*. Quòd ſi igitur corpus & ſanguis Domini localiter & ἀδιαστάτως in Euchariſtia præſens eſſet, utique localiter præſens eſſet, illud quâ *fractum*, hic quâ *fuſus*. At nec in prima Euchariſtia ita præſens eſſe potuit, quia tum nec corpus ejus fractum, nec ſanguis ejus effuſus erat; nec poſt reſurrectionem ex mortuis & aſcenſionem in Cœlum, quia corpus ejus ſemel fractum, & ſanguis ſemel effuſus ampliùs frangi & effundi neutiquam poteſt. Nam ἅπαξ *ſemel oblatus eſt ad auferenda multorum peccata*, Hebr. IX. 26. 28. *Quod mortuus eſt, peccato mortuus eſt* ἐφάπαξ *ſemel*, Rom. VI. 10. Syllogiſmum ejuſmodi formamus:

Si corpus & ſanguinis Domini in Euchariſtia præſens eſt, illud quâ datum, fractum, hic quâ effuſus, tum non præſens ibi eſt localiter, ſecundum indiſtantiam loci.

At corpus & ſanguis Domini in Euchariſtia præſens eſt, illud quâ datum & fractum, hic quâ effuſus.

Ergo corpus & ſanguis Domini non eſt ibi præſens localiter ſecundum indiſtantiam loci.

Propoſitionis conſequentia eſt ἀνεξαγώνιος, nititúrque axiomate æternæ veritatis: *Non entis nulla ſunt accidentia*. Qui poſt reſurrectionem ex morte non ampliùs corpore tenus *fractus*, ſanguine tenus *effuſus* eſt: is poſt reſurrectionem corpore tenus *fractus*, ſanguine tenus *effuſus* in euchariſtia ἀδιαστάτως, ſeu localiter præſens eſſe nequit. Quomodo corpus fractum, ſanguis fuſus localiter præſens eſſe poteſt, quod ampliùs fructum, ampliùs

prius fuſum non eſt? Ita in prima quoque Euchariſtia corpus actu fractum, ſanguis actu effuſus non fuit. Proinde corpus fractum, ſanguis effuſus etiam ibi localiter præſens eſſe non potuit. Per *ἀνάμνησιν recordationem*, repræſentationem, exhibitionem in legitimo uſu, corpus quâ ſemel *fractum*, *ſanguis* quâ ſemel *fuſus*, in cruce Sacramentaliter & ſpiritualiter præſens eſſe poteſt: at localiter & corporaliter non poteſt. Antecedens eſt ipſius Salvatoris noſtri ſacroſancto ore teſtatum.

XX. Cum hoc argumento D. Parochus non uno modo confligit. Huc autem verboſi ejus conceptus redeunt. 1. *Ex eo, quòd verba aliqua una periodo continentur, non ſequi, quod uno prorſus ſenſu intelligenda ſint. Ita Paulum Philip. II. 6. una eadémque periodo dicere, Chriſtum Filium Dei formam ſervi accepiſſe, & humiliâſſe ſe ipſum uſque ad mortem. Neque tamen ſequi inde, quia quâ Filius Dei incarnatus eſt, etiam eum quâ Filium Dei mortuum eſſe. Sufficere ut utrumque eo modo ſit, quo in vero & plano ſenſu aſſeri poteſt. Etſi igitur Chriſti corpus vivum & glorioſum in ſtricto ſenſu, quoad propriam entitatem, verè & realiter frangi non poſſit, at frangi tamen in alio, vero etiam & uſitato ſenſu dici poſſe, quatenus ſpecies panis, ſub quibus loco ſubſtantiæ corpus Chriſti continetur, franguntur. Ita Luc. VIII. 44. 45. mulierem dici Chriſtum tetigiſſe, quæ fimbriam veſtimenti ejus tetigit, pag. 260--269.* Reſp. 1. Quæ eadem periodo dicuntur, non eodem ſemper ſenſu, ſed quódque congruo & à Spiritu S. intento, intelligi debere, nemini ambiguum eſt. 2. Locus verò Phil. II. 8. perperam huc trahitur. Ibi enim ſermo eſt de *Jeſu Chriſto, v. 5.* qui *quâ talis* & ſe exinanivit, & ſervi formam accepit, & factus eſt in ſimilitudine hominum, & ſe humiliavit, & factus eſt obediens uſque ad mortem crucis. 3. Senſus verbis Chriſti corpus ſuum fractum, datum, ſanguinem fuſum aſſerentis, affictus, nec verus, nec uſitatus eſt, ſed peregrinus & violentus, ut qui maximè. Corpus Chriſti *verè* datum, fractum, ſanguis

Digitized by Google

ſanguis verè *effuſus* eſt. Igitur corpus fractum, ſanguinem fuſum, non ſpeciem utriuſque, Spiritus S. innuit. Non ita Filius Dei, quâ talis, verè mortuus eſt. Poſterior hic ſenſus abſurdiſſimus prior genuinus, verbo Dei & rei geſtæ conſentaneus, gravis, concinnus, ſalutaris eſt. At corpus fractum, ſanguinem fuſum dici, quia ſpecies panis fracta, ſpecies vini fuſa, non tantùm nudè, ſine ulla verbi Divini authoritate, vel rationis umbra aſſeritur, ſed etiam omnes abſurditatis numeros implet, apud eos maximè, qui ab omnibus tropis in hoc argumento abhorrent. Et quæ Rhetorice, ſive ſacra, ſive profana, tropo adeò inſolenti, ſecundum quem corpus aliquod frangi, occidi dicatur, quia nuda ſpecies non corporis illius, ſed ſubſtantiæ planè diſparatæ, & quidem à ſubjecto proprio ſeparata frangatur, nomen dedit? Quæ ſana ratio non exhorreſcat, imò non indignetur aſſerenti, ſpeciem à proprio ſubjecto ſeparatam frangi, effundi poſſe? Quomodo frangi, effundi poteſt, quod non habet partem extra partem? Quod denique ſolatium fideli animæ ex fractione, effuſione ſpeciei panis & vini? Annon hoc eſt Evangelii nucleum perdere, & populo miſello mederi velle על נקלה re *levicula*, nihili, titivillitio, Jerem. VIII. 11? An ſpecies panis pro peccatis noſtris crucifixa, in mortem data eſt? 3. Panem, non panis ſpeciem à Chriſto fractum, & panem ita fractum eſſe corpus, quod datur, frangitur, hiſtoria teſtis eſt. Alia utique fractio panis, alia fractio corporis. Illa hujus Sacramentum eſt. 4. Ut verò exemplo obducto fucum detrahamus, ſanè Chriſtus Luc. VIII. 45. ſe tactum dicit, quia mulier fimbriam veſtimenti ejus tetigit. At nec mulier ſpeciem fimbriæ à fimbria ſeparatam tetigit: & Chriſtus tum verè tangi poterat. At hîc ſpecie panis fracta fractum Chriſti corpus, quod nec in prima Euchariſtia ante horam frangi poterat, nec poſt mortem frangi ampliùs poteſt, dicitur. Nulla igitur locorum *γειτνίασις*, ſimilitudo prorſus nulla.

XXI. Per-

Digitized by Google

XXI. Pergit verò D. Parochus, aitque, *nuſpiam Chriſtum dicere, in Cœna corpus ſuum fractum, ſanguinem effuſum porrigi. Uſum enim eſſe verbo præſenti, quod* datur, *qui* effunditur. *Tum* τὸ frangere *à me accipi in ſenſu nimis crudo, pro cruenta Chriſti fractione, cùm tamen nec corpus Chriſti in rigoroſo ſenſu fractum unquam ſit, Joh. XIX. 33. 36. & Evangeliſtæ habeant non* τὸ κλώμενον quod frangitur, *ſed* τὸ διδόμενον quod datur, *adeóque incruentam fractionem, dationem intelligant. qualis & in prima Euchariſtia & hodiéque obtineat. Atque eandem eſſe Chryſoſtomi homil. 24 in 1. Cor. mentem. pag. 269--281.* Reſp. 1. Chriſti & Pauli τὸ διδόμενον, κλώμενον, ἐκχυνόμενον, *quod datur, frangitur, effunditur*, idem eſt, quod τὸ δοθησόμενον, κλασθησόμενον, ἐκχυθησόμενον, *quod dabitur, frangetur, effundetur*: uſitata enallage temporis. Sine qua oratio Chriſti vera eſſe non potuiſſet. Neque enim tum, cùm ita loquebatur, corpus ejus dabatur, frangebatur, vel ſanguis effundebatur: ſed corpus demum dandum, frangendum: ſanguis effundendus in cruce offerebatur. Locutus eſt Chriſtus Hebraicè. At Hebræis in more poſitum, eodem participio, quod de tempore præſenti uſurpant, futurum quoque deſignare. Ita apud Prophetas ſæpe ימים באים *dies venientes* notant *venturos*. Etſi verò nec tum corpus Chriſti fractum fuit, facile tamen intellectu, Chriſtum panem Sacramentum conſtituiſſe corporis ut fracti, & ſanguinis, ut effuſi. Addidit enim ſtatim: *Hoc facite, quoties facitis, in recordationem mei.* Voluit igitur Chriſtus panem *in ſui recordationem*, & quidem *ſæpius* comedi. At paſſio tum, cùm verba illa pronuntiaret, proximè inſtabat. Proin corporis adhuc frangendi non diu panis ſignum eſſe poterat: ſed oportebat mox corporis jam fracti ſignum eſſe. Ex quo autem corpus Chriſti fractum fuit, nunquam corporis Chriſti *frangendi*, ſed ſemper *fracti* Sacramentum fuit. Hæc cauſa eſt, cur Chriſtus participio temporis præſentis, non futuri uteretur. 2. *Datio* corporis Chriſti in

mortem

Digitized by Google

mortem videlicet, apud Lucam, & *fractio* ejuſdem apud Paulum ſunt prorſus ἰσοδύναμα, notántque haud equidem *fractionem oſſium*, aut διαφθορὰν *corruptionem*, uti liquet ex Joh. XIX. 33-36. Pſal. XVI. 10: ſed lacerationem corporis & mortem. Ita Hebræis שבר *fractio, ruptura* ſignificat mortem. Membra quando non reguntur ab uno Spiritu, deſinunt eſſe unum, neque ampliùs ſunt organa. Perinde igitur eſt, ac ſi fracta, rupta forent. Et quid aliud κλάσις τοῦ ἄρτου *fractio panis* à Chriſto & Paulo memorata ſignificat, quàm fractionem corporis? Symbola quippe cum re ſignificata analogiam habeant oportet. *Si Sacramenta*, inquit S. Auguſtinus ad Bonifac. Epiſt. 23. *ſimilitudinem earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent.* 3. Neque verò alia datur fractio corporis Chriſti, niſi cum morte ejuſdem conjuncta, adeóque cruenta. Fractio panis eſt corporis in cruce fracti ſymbolum & Sacramentum, non corporis fractio propriè dicta, ſive cruenta, ſive incruenta. quæ nulla omnino eſt. Fractio verò ſpeciei panis figmentum merum eſt, quod & verbo Dei deſtituitur, & cum ſana ratione pugnat. 4. Neque ei figmento S. Chryſoſtomus patrocinatur. In loco enim citato diſertè agit non de fractione *ſpeciei panis*, nec de *fractione corporis*, ſed *panis*. Negat quidem, in cruce fractum eſſe Chriſti corpus, quoad oſſa videlicet. Subjicit enim: Ὀς οὖν γὰρ αὐτοῦ, φησιν, οὐ συντριβήσεται· *Os ejus, inquit, non conteretur.* Qui verò inficias ire velit, corpus Chriſti in cruce fractum eſſe, is Paulo σῶμα κλώμενον *corpus, quod frangitur*, inſignienti, in os contradiceret. Adeò protervus Chryſoſtomus non fuit; qui ſequenti homilia 28. diſertè ita loquitur: Ἐκεῖνο τὸ σῶμα ἐξίσης ἔδωκε. Καὶ γὰρ ὑπὲρ πάντων ὁμοίως ἐκλάσθη, καὶ σῶμα γέγονεν ὑπὲρ ἁπάντων ἐξίσης. *Ille corpus æqualiter dedit. Etenim pro omnibus pariter fractum eſt, & corpus factus eſt pro omnibus æqualiter.*

XXII. *Secun-*

XXII. *Secundò* Chriſtus de pane accepto in manus, benedicto, fracto & diſtributo dixit: Τῦτό ἐςι τὸ σῶμά μυ. *Hoc eſt corpus meum.* De poculo itidem, ſeu genimine vitis: Τῦτό ἐςι τὸ αἷμά μυ, *Hoc eſt ſanguis meus*, Matth. XXVI. 26. 27. 28. Diſertè igitur docuit, corpus & ſanguinem ſuum in cœna Domini ita adeſſe, quatenus panis corpus, & vinum, ſeu genimen vitis ſanguis eſt. Quibus verbis qui addiderit, mendax reperietur. At nec panis aliter corpus, nec vinum aliter ſanguis eſt, quàm Sacramento-tenus, quatenus ille illius, hoc hujus Sacramentum & Symbolum Divinitus inſtitutum eſt. Argumentationem in ſequentis Syllogiſmi formam redigimus:

Si corpus & Sanguis Domini ita præſens eſt in Euchariſtia, quatenus panis eſt corpus, & vinum ſanguis eſt, tum neutrum localiter & ἀδιαςάτως *præſens eſt.*

At verum eſt prius.

Ergo etiam poſterius.

Propoſitionis conſequentia evidens eſt, quia panis corpus, & vinum ſanguis eſſe poteſt, per Sacramentalem repræſentationem & obſignationem, modo in reliquis Sacramentis conſueto, & ad fidem ac ſalutem ſufficiente; at non per localem corporis ſub ſpeciebus panis, ſanguinis ſub ſpeciebus vini exiſtentiam. Nam nec panis & vinum nudam utriuſque ſpeciem & accidens uſpiam ſignificant: nec quod in altero localiter exiſtit, de eo directè prædicari vel ſolet vel poteſt. Antecedens liquet ex ipſa textus ſeriè & λογαχχαφικῆ ἀνάγκῃ, nec non ex paraphraſi Pauli, ita verba Chriſti explicantis: *Panis, quem frangimus, nonne eſt communio corporis Chriſti?* 1. Cor. X. 16. Ex textus ſerie ejuſmodi Syllogiſmum nudum & expreſſum adhibemus:

Quod Dominus diſcipulis ſuis dedit, fuit id ipſum, quod ipſos accipere & comedere voluit.

At

At panis, quem Dominus in manus ſumpſit & fregit, fuit illud ipſum, quod Dominus diſcipulis ſuis dedit.

Ergo panis, quem Dominus in manus ſumpſit & fregit, fuit illud ipſum, quod diſcipulos accipere atque comedere voluit.

Major clara luce ſua radiat. Non enim aliud Dominus diſcipulis ſuis dedit, aliud eos accipere & comedere voluit. Δόσις καὶ λῆψις relata ſunt. Minor æquè manifeſta. Cùm enim Evangeliſtæ dixiſſent, Dominum panem ſumpſiſſe & fregiſſe, ſubdunt, eundem panem dediſſe etiam diſcipulis ſuis. Certo igitur firmóque talo ſtat concluſio. Porro quia panis ille, quem Dominus in manus ſumpſit & fregit, fuit id, quod idem diſcipulos accipere ac comedere juſſit, oportet eundem illum panem & corpus Chriſti fuiſſe. Qua de re rurſus nudum & expreſſum Syllogiſmum ponimus:

Quod Dominus diſcipulos ſuos accipere & comedere juſſit, id fuit corpus ejus.

Panis, quem Dominus in manus ſumpſit & fregit, fuit illud, quod diſcipulos accipere atque comedere juſſit.

Ergo panis, quem Dominus in manus ſumpſit & fregit, fuit corpus ejus.

Major omni exceptione major eſt. Quod enim Dominus dixit: *Accipite, comedite. Hoc eſt corpus meum*; tantundem utique eſt, ac ſi dixiſſet: *Accipite, comedite. Quod accipere atque comedere vos volo, id eſt corpus meum.* Quippe vocula τοῦτο, *Hoc*, relativa eſt, & refert ac repræſentat ea, quæ in ſermone Domini cohærente antecedunt. Minor in priori Syllogiſmo probata eſt.

XXIII. Soli clariſſimo tenebras offundere laborant Fratres. Quo id ſucceſſu laboraverint, diſpiciamus. Excipiunt igitur ante omnia, *Chriſtum accepiſſe panem, & dediſſe diſcipulis, ſed non eodem modo habentem. Accepiſſe panem non mutatum: dediſſe, per conſecrationem videli-*

videlicet, mutatum & tranſſubſtantiatum. *Eodem ſenſu architriclinum Joh. II. 9. dici guſtâſſe aquam vinum factam. pag.* 114. 115. 116. 282. 283. Reſp. 1. Mutatum eſſe panem benedictione, ſeu conſecratione, quoad *uſum*, ut ex vulgari ſacrum Symbolum factus fuerit, ultro equidem fatemur. At conſecratione mutatum eſſe, hoc eſt, *tranſſubſtantiatum*, percunte ſubſtantia, & manentibus ſine proprio ſubjecto accidentibus, aſſertio eſt prorſus temeraria, & quæ nec probatur ulla ratione, & verbo Dei ac ſanæ rationi refragatur. Panis ὀυσιωδῶς ſeu *ſubſtantialiter* mutatus, hoc eſt, tranſſubſtantiatus, eſt *non panis*. Amiſit enim ὀυσίαν ſeu *ſubſtantiam* veri panis. Neque Chriſtus de pane benedicto dixit: Τοῦτο ἐγένετο σῶμά μου. *Hoc factum eſt corpus meum.* ſed, Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. *Hoc eſt corpus meum.* Quæ verba manifeſtè ſunt non practica, ſed theoretica, demonſtrativa ejus, quod erant, ſano videlicet ſenſu. Sed & ſenſuum judicium, ab ipſo Deo, ſenſuum authore, ingeneratum, adverſus ſubſtantialem mutationem validè præſcribit. Et quomodo quæſo ſubſtantialis illa mutatio contigit? An *benedictione?* Sic ergo mutatio facta fuerit ante verba, *Hoc enim eſt corpus meum*, prolata, quæ conſecratoria illi ſtatuunt. An *prolatione* verborum, *Hoc enim eſt corpus meum?* Sic igitur mutatio non proceſſerit, niſi impleta verborum prolatione, adeóque particula *Hoc*, ante impletam prolationem pronuntiata, panem ſubſtantialiter mutatum neutiquam deſignat. Addo, ſubſtantialem ejuſmodi mutationem non tantùm absque Euchariſtiæ interitu aſſeri non poſſe, æquè ac ſubſtantialis mutatio aquæ in baptiſmo ſine interitu baptiſmi aſſeri nequit: Sed etiam panem & vinum, imò & ipſum corpus & ſanguinem ex Euchariſtia tollere, utpote qua *panis & vinum non in corpus & ſanguinem Domini, ſed in ſpectra quædam, ſpirituum mentientia proprietates, convertuntur.* uti graviter Ven. Stukius monuerat. Faciunt denique huc omnia argumenta, quibus tranſſub-

ſtantiationis dogma alibi convellitur. 2. Architriclinus Joh.II.9. *aquam vinum factam guſtâſſe* dicitur. An verò *vinum illud ex aqua* erat ſub involucris accidentium aquę? Annon potiùs guſtus Architriclino prodidit id, quod erat, vinum videlicet, de cujus bonitate v. 10. teſtificatus eſt? Sicut autem illi ex guſtu de vino teſtificanti nuptiales cæteri crediderunt: ita fidelibus quoq; de pane & vino in cœna teſtantibus, & ad ſenſus provocantibus, credendum eſt. Idem autem procul dubio judicium fuit Apoſtolorum, quod eſt fidelium omnium, quia ἓν πνεῦμα *unus Spiritus* & φρόνημα *ſenſus* eſt omnium; quamvis non αὐτολεξεὶ id ſcripſerint Evangeliſtæ, nec apud eos id totidem verbis ac ſyllabis ſcriptum eſſe, uſpiam Ven. Stukius, quod ipſi D. Præpoſitus temerè *(p. 117.)* impingit, pronuntiaverit. Addo, *vinum factum* vocari ὕδωρ *aquam* ibi, ubi prior ſubſtantia unâ cum accidentibus diſceſſit, ut in ejus materiam nova forma induci poſſet: ubi addita verba οἶνον γεγενημένον *vinum facta*, omnem de facta mutiatione dubitationem tollunt. At in hoc argumento omnia ſecus habent. Denique ſicut in talibus transformationibus, qualis erat aquæ in vinum, nonnunquam nova ſubſtantia priſtinæ nomen retinet: ita in talibus ſignorum inſtitutionibus, ſigna ſæpenumero nomine rerum ipſarum appellantur. Cùm igitur locutionis exempla paria ſuppetant, quid magis conſentaneum eſt, quàm ut hîc & ſenſus, & rationis judicium, & alia veritatis κριτήρια præpolleant, adeóque panem corpus dici, quia ejus Sacramentum ſit, evincant?

XXIV. Inſtant porro Fratres: *Nullum ex quatuor Evangeliſtis articulum demonſtrativum referre ad panem, ita ut vel apertè dicat:* Hic panis eſt corpus meum; *vel occultè:* Hic corpus meum. *Omnes autem referre ad vocem corporis, pag. 29.--&c. 284.* Reſp. 1. Id verò frivolum planè & deſultorium eſt. Noluerunt Evangeliſtæ & Paulus in hac formula aliquid immutare, quia brevior, æquè clara, à faſtidio repetitionis immunis. Cui

bono-

bono enim repereretur id, quod proximè poſitum erat, & quod tota contextus ſeries ἀπὸ κοινοῦ repetendum indicaverat? 2. Liturgia tamen Æthiopica non veretur ita reddere: *Hic panis eſt corpus meum.* Et Tertullianus in carminibus: *Acceptum panem, pariter vitiſque liquorem; Corpus, ait, ſanguiſque meus, qui funditur, hic eſt.*

XXV. *Tertiò* panis ita corpus eſt, ſicut calix *Novum Teſtamentum, Luc. XXII. 20.* At calix ita Novum Teſtamentum eſt, ut illud tamen in eo localiter non exiſtat & contineatur. Proinde panis non ita corpus eſt, ut hoc ſub eo localiter præſens ſit. Argumentum in forma ejusmodi eſt:

Eo modo panis eſt corpus, quo calix Novum Teſtamentum.

At calix Novum Teſtamentum eſt, non quia hoc in illo localiter præſens ſit, ſed quia ille hujus Sacramentum & ſymbolum eſt.

Ergo panis quoque corpus eſt, non quia corpus ſub eo localiter præſens ſit, ſed quia ille hujus Sacramentum & ſymbolum eſt.

Major axiomati Logico innititur: *Parium par ratio eſt.* Minor verò inde conſtat, quia Novum Teſtamentum, quod ſubſtantia corporalis non eſt, ejuſmodi locutionis & præſentiæ ſubſtantialis ne quidem capax eſt.

XXVI. Reſpondet D. Parochus primò, *nuſpiam panem vocari corpus.* Reſp. Præcedens argumentum & probatum & aſſertum arguit, Chriſtum panem vocâſſe corpus. Sed & pro eo analogia alterius Symboli militat.

XXVII. Inſtare pergit: *Calicem N.T. inſigniri, quia in eo contentus fuerit ſanguis Chriſti, quo Novum Teſtamentum ratificatum & confirmatum fuit. Iccirco dixiſſe Chriſtum:* Calix eſt Novum Teſtamentum in meo ſanguine. *Et Marc. XIV. 24.* Hic eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti, *id eſt, quo Novum Teſtamentum obſignatur. Non obſignatum enim eſt vino, ſed ſanguine, pag. 286. 289.*

Digitized by Google

289. Reſp. 1. Teſtamentum Novum utique ratificatum eſt per ſanguinem Chriſti teſtatoris in cruce effuſum, adeóque per mortem ejus, teſte Paulo Heb. IX. 16. 17. 18. *Ubi Teſtamentum eſt, mors teſtatoris intercedat neceſſum eſt. Teſtamentum enim in mortuis firmum eſt, ſiquidem nunquam valet, quando vivit teſtator.* Alieniſſimum tamen eſt, iccirco ſanguinem propriè dici Novum Teſtamentum. Neque enim id, quo res confirmatur & ratificatur, eſt res ipſa. Et quis unquam ſanus propriè ſanguinem, mortem teſtatoris ipſum teſtamentum nuncupavit? Vel mortem & ſanguinem teſtatoris cum ipſo teſtamento localiter exiſtere dixit? 2. Quid verò facit ad ratificationem Teſtamenti, ſi ſanguis ex poculo effunderetur inviſibiliter? Et ſi hoc fit, & quidem pro nobis effunditur, nempe ad remiſſionem peccatorum, quare Chriſtus mortuus eſt in cruce? & quid moriens impetravit? & quæ eſt illa *remiſſio*, quæ excludit προσφορὰν *oblationem?* Hebr. X. 18. Quomodo Chriſti mors poterit eſſe ἱλασμὸς & ἀπολύτρωσις, *propitiatio & redemptio*, ſi ſanguis ejus quotidie ex poculo effundi inviſibiliter debet? 3. Ποτήριον *poculum* utique per tropum continentis pro contento notat id, quod in calice erat, cùm non calix, ſed id, quod in calice, bibi debuerit; & æquipollet pronomini τοῦτο *Hoc.* Quod Matthæus & Marcus expreſſére: Τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης. *Hoc eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti*; pro eo Lucas & Paulus habent: Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου. *Hoc Poculum eſt Novum Teſtamentum in ſanguine meo.* Quæ verba etſi in externa oratione tranſpoſita, ſenſu nihil diſcrepant, cùm ſinguli ſcriptores Sacri mentem Domini feliciter haud dubiè expreſſerint. Senſus huc redit: *Hoc poculum*, vel *id, quod in hoc poculo continetur, eſt ſanguis meus, quo Novum Teſtamentum ratificatur.* At τοῦτο *Hoc*, vel τοῦτο τὸ ποτήριον. *Hoc poculum*, non ſanguinem, ſed vinum poculo contentum notat, tum quia apud Paulum interpretem omni exceptione majorem, 1. Cor.

X. 16.

X. 16. poculum & panis ſe mutuò explicant, adeóque poculum pani oppoſitum vinum ſignificat: tum quia idem vocat *poculum benedictionis, cui benedicimus*, ex ſententia Adverſariorum dicturus potiùs, *Sanguis benedictionis, à quo benedicimur*, quia id quod minus eſt, ab eo quod majus eſt, benedicitur, Hebr. VII. 7. (ubi D. Præpoſitus (pag. 130.) contra gregalium ſuorum, qui benedictionem eam de conſecratione & quidem ſacerdotali, & converſiva, mentem, benedictionem poculi, hoc eſt, ut ille vult, ſanguinis Chriſti, confert cum ea benedictione, qua Danielis ſocii Domino in fornace benedicebant, benedictionem ſimplicem cum benedictione conſecrationis ineptè confundens) tum quia id notatur, quod Chriſtus Apoſtolis ἔδωκε *dedit*, id verò *dedit*, ſuper quo *gratias egit*, ſuper eo *gratias egit*, quod *accepit*, porro procul omni dubio ſicut panem, ita in poculo vinum *accepit*, fatentibus ipſis Adverſariis, qui acceptum à Chriſto vinum demum conſecratione mutatum ſciſcunt: tum quia potum, quem Apoſtolis dedit, ipſe Chriſtus vocavit γέννημα ἀμπέλȣ *genimen vitis*: tum quia, ut ipſe Janſenius arguit, verba illa ἐν αἵματί μȣ *in ſanguine meo*, ineptè appoſita fuiſſent, ſiquidem voce ποτήριον *poculum* ſanguis Chriſti deſignatus eſſet, (quid enim hoc eſt dicere: *Hic ſanguis eſt novum Teſtamentum in meo ſanguine?*) Mitto argumenta omnia, quibus ſanguinem ſub ſpeciebus vini præſentem non eſſe, comprobatur. 3. Minùs bona fide verba Lucæ & Pauli ita referuntur à D. Parocho: *Hic eſt calix Novum Teſtamentum in ſanguine meo.* quaſi *calix* ad prædicatum, non ſubjectum pertineret. At Paulus diſertè ita habet: Τȣ̃το τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐςὶν ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι. *Hoc illud poculum Novum Teſtamentum eſt in ſanguine meo*, ſubjectum faciens τȣ̃το τὸ ποτήριον, *Hoc illud poculum*; reliqua verba attributum. 4. Utique Novum Teſtamentum propriè non vino, ſed ſanguine teſtatoris confirmatum eſt. Vinum tamen à Chriſto inſtitutum eſt Sacramentum & ſigillum illius ſanguinis, quo

Novum Teſtamentum ratificatum eſt. 5. Diverſitas verborum apud Scriptores ſacros non juvat Adverſarios, ſed potiùs confundit, imò ad confundendos illos deditâ operâ delecta eſt. Ita enim poculum eſt *ſanguis* apud Matthæum & Marcum, ſicut eſt *Novum Teſtamentum* apud Lucam & Paulum. At ſicut potus in poculo propriè non eſt *Novum Teſtamentum*, nec in hoc tranſſubſtantiatur: ita nec propriè ſanguis eſt, nec in hunc tranſſubſtantiatur.

XXVIII. *Quartò* Matthæus cap. XXVI. 29. & Marcus cap. XIV. 28. verbis Chriſti, quibus poculum tradidit, addunt ea verba: *Dico autem vobis, non bibam dehinc de genimine vitis, usque ad diem, quo id bibam vobiſcum novum in Regno Patris mei.* Καινὸν *novum* dicit, tum pro ἑτέρῳ, *alio*, quomodo καιναὶ γλῶσσαι ſunt γλῶσσαι ἕτεραι, Marc. XVI. 17. Act. II. 4. tum pro hactenus inuſitato, adeò ut γέννημα ἀμπέλου αὐτὸ καινὸν *genimen vitis idem novum* nihil aliud ſit, quàm res ſymbolo obſignata, tunc quidem promiſſa in proximum tempus, mox autem veritate ipſa præſtanda, gaudium videlicet, ex ſe tanquam vera vite promanans, quod ex ejus reſurrectione, & in Regno ipſius percepturi erant. Liquet hinc vinum, quod Chriſtus bibendum tradidit, ſymbolum rei à ſe promiſſæ fuiſſe γέννημα ἀμπέλου *genimen vitis*, adeóque verum, naturale, ſubſtantiale vinum. Syllogiſmus talis erit:

Quod in Euchariſtia præſens eſt, ut genimen vitis, illud localiter præſens non eſt ut ſanguis.
At id, quod in poculo continetur, in Euchariſtia præſens eſt, ut genimen vitis.
Ergo id quod in poculo continetur, localiter præſens non eſt ut ſanguis.

Major firmatur regula communi, quòd *diſparatè oppoſita non ſint idem.* At *genimen vitis* & *ſanguis* haud dubiè diſparatè oppoſita ſunt. Minor ex Chriſti verbis eruta eſt.

XXIX.

XXIX. Adverſarius ita telum hoc validiſſimum excipit, ut tria potiſſimùm ei opponat. Sunt autem ſequentia. Primò igitur reponit, *Chriſtum id, quod poculo contentum erat, diſertis verbis vocâſſe ſanguinem ſuum. Adeóque non fuiſſe genimen vitis, ſed verè ac realiter ſanguinem ipſius, pag.* 290. 291. 292. *Reſp.* Reſpectus diverſitas oppoſitionem tollit. Id quod poculo continebatur, propriè *genimen vitis*, vinum fuit: impropriè etiam *ſanguis*, ſecundùm Sacramentalem videlicet ſignificationem. At propriè tam non ſimul genimen vitis & ſanguis eſſe potuit, quàm non oppoſitum idem eſſe poteſt.

XXX. Secundò oggerit Adverſarius: *Non vinum, ſed ipſum ſanguinem Chriſti vocari poſſe genimen vitis, per alluſionem ad loca Joh. XV.* 1. *ubi Chriſtus ſe* veram vitem *vocat; nec non Geneſ. XLIX.* 11. *ubi Chriſtus idem loturus dicitur in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum. Magis ſeriò et in proprio ſenſu intelligenda eſſe verba, quibus calix ſanguis dicitur, quàm quibus genimen vitis, tum quia nec Paulus, nec Lucas mentionem faciant geniminis vitis, cùm omnes tamen ſanguinis meminerint: tum quia nemo Patrum ex illis verbis concluſerit, in calice vinum, & non ſanguinem contineri. Etiam reliqua verba, veluti* calix, regnum Dei, genimen vitis novum, *à nobis per tropos explicari, pag.* 292--296. Reſp. 1. Nôrunt Philologi omnes, uſitato Hebraiſmo γέννημα ἀμπέλȣ idem eſſe quod καρπὸν ἀμπέλȣ, *fructum vitis, vinum* propriè dictum. Hebræi enim vinum vocare ſolent פרי הגפן *fructum vitis.* velut in trita illorum benedictione: ברוך רב העולם בורא פרי הגפן *Benedictus Deus noſter, Dominus mundi, qui creavit fructum vitis.* Simili ratione Anacreon Poëta vinum γόνον ἀμπέλȣ *filium vitis* dixit. 2. Porro hoc loco *genimen vitis* non *ſanguinem*, ſed vinum propriè dictum notare, non Adverſarius duntaxat ipſe ſtatim agnoſcit, ſed alia quoque fidem faciunt. Præterquam enim quòd non *genimen* corporis animalis, ſed *vitis* appellatur, neque, ſi ab Adverſariorum præjudicio

diſceſſeris, ulla ſolida ratio reddi poteſt, cur à literæ proprietate diſcedendum ſit; etiam Dominus innuens, ſe bibiſſe de genimine vitis, clariſſimè oſtendit, ſe loqui de liquore potabili. At ſanguis Domini in Euchariſtia, utpote non effuſus extra venas, ſed in corpore contentus, non eſt propriè materia potabilis. Aliâs etiam Dominus ſe ipſum bibiſſet, cùm tamen ſe ipſum nihil participare poſſit, uti rectè Cyrillus *in Joh. l.* 9. obſervat. In verbis etiam illis: *Non bibam de hoc genimine vitis,* aliquid à ſe diſtinctum, quale non erat ſanguis, diſertè innuit. Quoties denique Dominus de ſe ipſo ſub metaphorico nomine vitis loquitur, ſemper aliquid addit, quo à vite propriè dicta diſparetur, veluti Joh. XV. 1. ubi ſe *vitem ἀληθινὴν veram* nominat: nec non Geneſ. XLIX. 11. ubi non *fructum vitis*, ſed phraſi prophetica & apertè metaphorica, דם ענבים *ſanguinem uvarum*, quo ſtola Schilonis lavanda ſit, exprimit. 3. Calicem propriè ſanguinem non dici, ſed Sacramentum ſanguinis, ſupra probatum dedimus. Silentium verò Pauli & Lucæ de verborum Chriſti authenticè teſtatorum veritate ne tantillum quidem decerpit. Neque etiam Patribus res fuit cum Pontificiorum errore, quia is utpote novitius, eorum tempore nondum caput protulit. Nihilominus Clemens Alexandrinus *Pædagog. lib. II. cap.* 2. verbis illis Chriſti refutat errorem Encratitarum, Hydroparaſtatarum, vini uſum abhorrentium. Verba ejus referam: *Certò ſcitote, Chriſtum quoque vino uſum eſſe. Nam ipſe quoque homo erat; & vino benedixit & dixit: Accipite, bibite, hoc eſt ſanguis meus, ſanguis vitis. Sanctum enim lætitiæ fluentum, verbum pro multis effuſum in remiſſionem peccatorum ἀλληγορεῖ allegoricè ſignificat. Quòd autem vinum eſſet id, quod benedictum eſt, oſtendit rurſus diſcipulis, dicens: Non ampliùs bibam ex fructu vitis hujus &c.* En, docet S. Pater, Chriſtum in Euchariſtia *vinum benedixiſſe, vinum bibiſſe.* Docet, verborum Chriſti, *Hoc eſt ſanguis meus,* ſenſum eſſe, *Hic fructus vitis eſt ſanguis meus.* Docet, fructum

Digitized by Google

ctum vitis in ea propoſitione ſignificare *allegoricè* ſanguinem verbi, pro multis effuſum in remiſſionem peccatorum. Docet denique, Dominum dicentem: *Non amplius bibam &c.* per *fructum vitis*, vinum ab illo in Euchariſtia potatum intellexiſſe. Quid quæſo clariùs dici poteſt? Baſilius quoque M. probaturus, fructus terræ γενήματα *genimina*, non τέκνα *natos* appellari, lib. 2. contra Eunomium, hunc ipſum locum allegat. 4. Verba illa, *calix, genimen vitis novum, bibitio in regno Patris*, impropriè accipi debere, apud omnes in confeſſo eſt, ejúsque rei ratio liquet. At cur per *genimen vitis* propriè ſanguis Chriſti intelligatur, ratio apparet penitus nulla. Quanquam nec illa propria locutio eſt, cùm vinum *genimen vitis* nuncupatur.

XXXI. Tandem D. Parochus opponit: *Chriſtum in citatis verbis loqui non de calice conſecrato Euchariſtico, ſed de calice Paſchali, in quo verum utique genimen vitis fuerit. Lucam quippe ea verba diſertè referre ante conſecrationem. Eumq; magis ſequendum eſſe, quàm Matthæum & Marcum, poſt conſecrationem referentes, quia is geſtorum ordinem meliùs obſervare ſolitus fuerit; & hic quidem cap. XXII. 15. 16. &c. diſtinctè primò cœnam Paſchalem, & in ea verba citata, quibus innuerit, poſthac longè præſtantius convivium, quàm Paſchale, inſtituendum; pòſt demum cœnam Euchariſticam deſcribat. Cum Luca porro Matthæum & Marcum ita conciliari poſſe, ſi dicatur, ipſos primò retuliſſe verba Euchariſtica; dein adidiſſe verba, quibus ipſe jam in cœna Paſchali hanc inſtitutionem cœnæ, tanquam geniminis novi, prædixerat. pag. 296--303.* Reſp. 1. Nobiles Papiſtæ, Vaſquez, Gamachæus, aliíque in verbis illis Chriſti de calice Euchariſtico agi, non tantùm aſſerunt, ſed etiam probant, tum quia Matthæus & Marcus verba illa Domini; *Non bibam &c.* immediatè poſt conſecratum calicem Euchariſticum referant, ejúsque ſolius mentionem faciant: tum quia Eccleſia quoque utatur his verbis, ut probet, vinum eſſe materiam

conſecrationis calicis: tum quia Origenes, Cyprianus, Chryſoſtomus, Auguſtinus ſic interpretentur. Patribus autem nominatis permulti alii addi poſſent. Pro adverſa verò ſententia vix unus Patrum militat. 2. Lucas quia commemorat Chriſti verba, quibus ſignificabat, hoc ultimum eſſe paſcha; etiam ad Paſchale poculum, quod cum Eucharistico ſubſtantia idem fuit, ea verba addidit. Attamen & ipſe & reliqui Evangeliſtæ ſignificârunt, quod & Chriſtus & diſcipuli biberunt in ea cœna, fuiſſe *γέννημα ἀμπέλου genimen vitis*, idque *novum*, hoc eſt, aliûs generis eos bibituros in Regno Cœlorum. Sequitur hinc, perinde eos putâſſe, quo in loco verba illa commemorarentur. At ſi in fine cœnæ non biberunt *genimen vitis*, perinde non fuiſſet, ubi commemorarentur: atque adeò Matthæus & Marcus aberrâſſent. Ita optimè conciliantur Evangeliſtæ, & ſimul nexus orthodoxæ explicationis magis adſtringitur. Non dicam nunc, doctis etiam Interpretibus videri, bis verba illa à Chriſto pronuntiata eſſe, & poſt calicem paſchalem & poſt Euchariſticum bibitum. De eo quicquid ſit, certum eſt, non committendos eſſe Evangeliſtas, nec Matthæum & Marcum ex Luca emendandos, ſed utriſque fidem adhibendam eſſe. 3. Conciliatio verò à D. Parocho infeliciter attentata neutiquam recipi poteſt, tum quia nuſpiam moris eſt prophetiam rei futuræ ipſi rei geſtæ poſtponere, quæ certè *ἀμεθοδία* foret prorſus indigna: tum quia apud Matthæum particula δὲ in verbis, *λέγω δὲ dico autem*, verba illa connectit cum præcedentibus verbis Euchariſticis: tum quia tempus præſens expreſsè notatur à Matthæo, *ἀπ' ἄρτι à nunc*, vel *ab hoc* ipſo *tempore*: tum quia calix conſecratus Euchariſticus præcedens ad ſenſum quaſi digito notatur in verbis apud Matthæum; *Non bibam à nunc ἐκ τούτου γεννήματος ex hoc genimine vitis*, adeóque calice proximè memorato: (nam Paſchalis calicis ibi ne mentio quidem præceſſit) tum denique quia *genimen vini καινὸν novum* calicem Euchariſticum à Chri-

ſto

ſto in cœna Euchariſtica porrectum deſignare nequit, quia *novum* illud bibendum prædixit *in Regno Patris*, hoc eſt, poſt reſurrectionem Chriſti vel *in terra*, cùm poſt factam πλειώσιν *conſummationem*, Eccleſiam is in juſtitia & libertate & gaudio ſub regimine ſolius Dei gubernaturus, & præſtantiora illa Novi Teſtamenti bona actu impartiturus erat; vel *in Cœlo* per Cœleſtis gloriæ fruitionem: quorum neutrum in prima Euchariſtia locum habuit, adeóque nec in ea locum habiturum prædici potuit. Qui Regnum Patris de prima Euchariſtia mortem Chriſti præcedente interpretetur, D. Parochus oſtendere poterit neminem. Adeóque interpretatio illa eſt ἰδίας καὶ γνώμης καὶ ἐπιλύσεως.

XXXII. *Quintò* id quod in Euchariſtia præſens eſt, localiter videlicet, diſertis verbis vocatur ἄρτος *panis*. Paulus enim, verborum Chriſti exquiſitus interpres, ſæpiùs diſertis verbis id, quod in Euchariſtia præſtò eſt, vocat ἄρτον *panem*. Ita enim loquitur 1. Cor. X. 16. *Panis, quem frangimus, nonne eſt communio corporis?* Et v. 17. *Unus panis, unum corpus, multi ſumus.* Et cap. XI. 26. *Quoties ederitis* ἄρτον τοῦτον *panem hunc &c. mortem Dei annuntiate.* v. 27. *Qui ederit panem hunc, & biberit poculum hoc indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* v. 28. *Probet ſe ipſum homo, atque ita* ἐκ τοῦ ἄρτου ἐσθιέτω *ex pane hoc edat, & ex poculo hoc bibat.* Ter igitur poſt conſecrationem, paucis interjectis verbis, vocat ἄρτον *panem*. Unde in promptu eſt Syllogiſmum καλλίνικον cudere:

Si in Euchariſtia etiam poſt conſecrationem manet panis, tum panis, non corpus Chriſti, localiter præſens eſt.

Atqui verum eſt prius.

Ergo etiam poſterius.

Nexum conſequentiæ agnoſcunt οἱ ἐξ ἐναντίας ipſi. Quippe credere vetant, utramque & panis & corporis ſubſtantiam

Digitized by Google

tiam localiter præſtò eſſe; quòd Synuſiaſtarum, vel potiùs *Diſuſiaſtarum*, uti appellendos meritò cenſet Magnus Salmaſius, dogma unâ nobiſcum averſantur. Neque verò fieri poteſt, ut eodem unico loco, ſub unius ejúſdemque corporis heterogenei accidentibus heterogeneis duæ ſubſtantiæ prorſus diſparatæ deliteſcant. Antecedens ipſius Apoſtoli teſtimonio comprobatum eſt.

XXXIII. Bellarminus, magnus Achilles, *lib.* 4. *de Sacram. cap.* 1. varias, etiam repugnantes argumento huic reſponſiones opponit. Primò ait, *Scripturam ordinariè per tropum vocare res, ut exteriùs apparent. Ita ſerpentem aneum vocare ſerpentem &c.* Ita tropum heic non averſatur, ſed fictitium illum, Cardinalis. At porro quæ ita vocantur, ut exteriùs apparent, non id eſſe, quod exteriùs apparent, aliunde facilè noſci poſſunt. At cùm Euchariſtia *panis* appellatur, quid quæſo proclivius eſt, quàm ut omnes, quotquot ſenſibus noſtris non iraſcimur, exiſtimemus, revera *panem* eſſe, teſtibus ſenſibus, duce ratione, religione ipſa & natura rei nos eò non tam vocante, quàm trahente? Si ſerpens æneus æquè vero ſerpenti ſimilis fuiſſet, ac Euchariſtia pani ſimilis eſt: & ſi præterea Scriptura eum æquè abſolutè ſerpentem vocâſſet, ac Euchariſtiàm panem appellavit, cuíquam ne dubium futurum fuit, quin pro vero & nativo ſerpente haberetur? Quòd ſi etiam corpus Chriſti rectè vocatur panis propter ſimilitudinem, quam cum pane habet; tum utique etiam rectè vocari poterit corpus Chriſti, propter ſimilitudinem, quin & ſingularem relationem, quam ad illud habet. Sed mittamus inane κενοφύγετον. Secundò igitur aſſerit idem Bellarminus, *corpus Chriſti, utpote cibum cœleſtem fidelium, optimè dici poſſe panem, quia nomine panis in genere quilibet cibus intelligi poſſit.* Atque ita ipſum Chriſtum Joh. VI. 52. 59. *panem*, ſupercœleſtem videlicet cibum, vocari, D. Præpoſitus etiam arguit. Sic igitur ſenſus verborum Apoſtoli erit: *Communicatio cibi cœleſtis, quem benedicimus ſive conſecramus, eſt*

com-

Digitized by Google

communicatio corporis Chriſti. Et quid hoc ad ſcopum Apoſtoli? quæ ſententiæ vis? quæ verborum ſequela? quis interpretationis color? Filius Dei quatenus de Cœlo deſcendit, ut in carne manifeſtaretur, panis de cœlo deſcendens dicitur; corpus verò, quatenus fractum eſt in cruce, veriſſimè quidem cibus eſt, ſed cœleſtis nonniſi intuitu perſonæ: & ſublatum in Cœlum eſt quidem cibus & cœleſtis, verùm ita nec fractum eſt (quo modo in S. Cœna ſignificatur) nec deſcendit de Cœlo, ut fiat cibus, ſed habemus cum ipſo communionem per Spiritum Chriſti. Sed quid multis? Apoſtolus de pane loquitur, de quo in antecedentibus dixerat, Dominum accepiſſe panem, & gratiis actis eum fregiſſe ac diſtribuiſſe. Dicit enim 1. Cor. XI. 26. *Quoties ederitis* τὸν ἄρτον τῦτον *panem hunc*, illum ipſum videlicet, quem acceptum, fractum, diſtributum memoraverat. At accepit Chriſtus non quemlibet utique cibum, nec cœleſtem panem, qualis ipſe erat, ſed verum, naturalem & ſubſtantialem panem. Si qua mutatio, & tam admiranda quidem heic interceſſiſſet, ceſsâſſet Apoſtolus, qui nullum mutationis indicium præbuit, conſueto heic nomine uti. At paucis interjectis verbis ter uſus eſt. Tum Chriſtus aut corpus ejus nuſpiam ſimpliciter panis vocatur, ſed ſemper cum additamento *panis vitæ, panis vivus, panis, qui de Cœlo deſcendit.* Sed & de ejuſmodi pane loquitur Apoſtolus v. 29. qui ad judicium & mortem ἀναξίως *indignè* comedi poteſt. At Chriſtus ejúſque corpus ita comedi nequit, ipſomet ita teſtante Joh. VI. 54. *Qui manducat carnem meam, habet vitam æternam, & ego excitabo eum in ultimo die.*

XXXIV. *Sextò* juſſit Chriſtus in Euchariſtia edere panem corpus ſuum, & bibere poculum, ſeu, uti comprobavimus, vinum ſanguinem ſuum, εἰς ἀνάμνησιν *ad recordationem*, Luc. XXII. 19. 1. Cor. XI. 24. 25. & quidem ita, ut recordatio illa fiat per annuntiationem mortis Domini, ἄχρις ȣ̃ ἂν ἔλθῃ, *usque quò venerit*, ib. v. 26. Syllogiſmus ejuſmodi ultro heic ſe aptat:

Cujus

Digitized by Google

Cujus in euchariſtia ejusmodi ſit recordatio, ut in eà annuntiari debeat tanquam mortuus, & tanquam vivus demum poſthac ad nos iterum venturus, is in Euchariſtia localiter & ſub ſpeciebus ſymbolorum inviſibiliter præſens non eſt.

Atqui Chriſti ſecundum naturam humanam in Euchariſtia ejuſmodi ſit recordatio, ut in ea annuntiari debeat tanquam mortuus, & tanquam vivus demum poſthac ad nos iterum venturus.

Ergo Chriſtus ſecundum naturam humanam in Euchariſtia localiter, & ſub ſpeciebus ſymbolorum inviſibiliter præſens non eſt.

Majorem propoſitionem haud dubiè, quibus ſanum ſinciput eſt, admittent omnes. Quomodo enim localiter in Euchariſtia præſens eſſe poteſt is, cujus in Euchariſtia recordamur tanquam olim pro nobis mortui, & poſthac, quando Euchariſtiæ locus ampliùs erit nullus, demum iterum ad nos venturi: cuique adeò in ipſa Euchariſtia monumentum à Salvatore conſtitutum & fixum eſt? Quiſquamne uſq; adeò abſurdus eſt, ut ſi Patrem haberet præſentem, at linteo obvolutum, aut obducto conopeo in lecto jacentem, memoriam ejus tanquam abſentis ritu aliquo celebrare velit? Recordari quidem dicimur Dei, etſi præſentis, non propriè, ſed ſimilitudine quadam, tum ratione operum, quibus ſe antehac manifeſtavit: tum quia cùm ejus recordari dicimur, ea facimus, quæ facere ſolemus, quando cujuſpiam reminiſcimur. At hic ejuſmodi nihil fit. Non enim tantùm actu revocamus Chriſtum in memoriam, cùm cœnam uſurpamus; ſed cœna etiam eum in finem inſtituta eſt, ut eum aliò profectum & inde ſub finem mundi rediturum, in mentes noſtras ejuſmodi reminiſcentia revocemus. Addo eandem, recordationem pertinere ad conſolationem noſtram, ut leniat videlicet

dolorem

dolorem deſiderii noſtri, quod ferimus ob Chriſtum abſentem. Quippe eo ritu mitigare Chriſtus voluit ægritudinem diſcipulorum, inde natam, quòd diſceſſum ab illis ſuum moliebatur. Minor propoſitio tantùm non αὐτολεξεὶ à Chriſto dicta, & ab Apoſtolo Paulo, Spiritu dictante, repetita eſt.

XXXV. Expreſſiſſimum argumentum neutiquam feriunt, quæ D. Parochus *pag.* 104. *&c.* regerit. *Vel*, ita argutatur, *agitur de re, vel de actione. Si de re, corpore nimirum & ſanguine Chriſti, utique corpus & ſanguis in Euchariſtia contentus poterit eſſe commemoratio ſui ipſius in cruce traditi & fuſi. Si de actione, corporis nimirum traditione & ſanguinis fuſione, utique illa, quatenus hodie in Euchariſtia fit, commemoratio optima erit illius, quæ olim in cruce facta eſt: quomodo etiam David caput et gladium Goliathi demonſtravit in commemorationem actionis illius victorioſæ, qua ipſe eodem gladio id ipſum caput Goliathi abſcidit.* Similia exempla p. 67. &c. proferuntur. Reſp. Equidem Chriſtus ἀνάμνησιν *recordationem* in Euchariſtia fieri juſſit tum ſui, tum actionis ſuæ. Dicit enim Luc. XXII. 11. 19. Hoc facite εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν *ad recordationem mei*. Et 1. Cor. XI. 26. *Quoties ederitis panem hunc, & biberitis calicem hunc, mortem Domini annuntiate, donec venerit.* Et Chriſti igitur, corporis & ſanguinis ejus, & paſſionis ejuſdem memoriam in Euchariſtia recoli, ipſe Salvator, ejúſque interpres juſſit. Neque tamen vel corpus Chriſti, uti ſupponitur, inviſibile ſub ſpeciebus ſymbolorum deliteſcens, ſignum μνημονικὸν ſeu monumentum eſſe poteſt, ſive Chriſti ejuſdem in mortem olim traditi, ſive traditionis in cruce factæ: vel exempla adducta ſimilia ſunt. Non illud, tum quia id, quod corpus eſſe ſupponitur, & tamen in ſenſus non incurrit, adeóque & inviſibile eſt & indiviſibile, inſtar atomi Democritei, monumentum, ſignum, memoriale rei & actionis corporeæ & ſenſibilis eſſe nullo modo poteſt, cùm omne ſignum, atque adeò etiam μνημονικὸν, finito-

re

re S. Auguſtino, ſe ipſum ſenſibus, aliud verò menti
ſubjicere debeat: tum quia res viva, inviſibilis, indiviſi-
bilis, & impaſſibilis monumentum eſſe rei morientis,
patientis, fractæ nequit: tum denique, quia Chriſtus ma-
nifeſtiſſimè ſui abſentis, & demum, ſub finem videlicet
mundi, reverſuri *ἀνάμνησιν recordationem* & *annuntiatio-
nem* inſtituit, Paulo dicente: *Annuntiate mortem Domi-
ni, ἄχρις οὗ ἂν ἔλθῃ, donec venerit.* Non *hoc*, tum quia &
caput Goliathi, & gladius ejus præſens erat modo conſpi-
cabili; corpus autem Chriſti præſens eſſe nec ſenſu, nec
ratione, nec revelatione cognoſcitur, imò ejus in Eucha-
riſtia monumentum ſtatuitur, tanquam olim viſibiliter
mortui, & poſthac demum reverſuri, adeóque abſentis:
tum quia caput & gladius Goliathi trophæum & illuſtre
monumentum eſſe poterat generoſæ actionis præceden-
tis; heic autem corpus inviſibiliter latens monumen-
tum ſtatuitur actionis, ſeu potiùs paſſionis non tam præ-
teritæ, quàm continuatæ & numero ejuſdem. Quæſo
Tibi, D. Paroche, & naturæ & Scripturæ librum evol-
vere libeat. Similis exempli ne umbram quidem uſpiam
reperies.

XXXVI. Hactenus argumenta ſpecialia ex ipſa
Euchariſtiæ inſtitutione deprompta aſſeruimus. Succe-
dit nunc argumentum generale *tertium*, cum ſecundo
connexum, inde videlicet depromptum, quòd in Eucha-
riſtia *panis, qui frangitur*, vocatur *κοινωνία τοῦ σώματος com-
munio corporis Chriſti*, 1. Cor. X. 16. Quibus verbis con-
tinetur dilucida exegeſis verborum Chriſti: *Hoc enim
eſt corpus meum*, quod arguit tum altera pars cœnæ, po-
culum: tum proportio ſubjectorum: tum ſimilitudo &
prædicatorum & prædicationis ipſius: tum quia dici non
poteſt, Chriſtum communione corporis ſui majus quid
dediſſe. Argumentum in forma ita ſonat:

*Si in Euchariſtia panis, qui frangitur, eſt communio
corporis Chriſti, tum in ea corpus Chriſti localiter
præſens non eſt.*

Atqui

Atqui verum eſt prius.
Ergo etiam poſterius.

Conſequentia firma eſt,quia panis, qui frangitur, adeóque ſubſtantia panis (hæc enim frangitur) communio corporis,non per localem corporis ſub ſpeciebus alienis latentis præſentiam, ſed per ſolam ſacramentalem ſignificationem & obſignationem, quæ jus ad corpus Chriſti,& cum illo,ejúſque merito & juſtitia conſortium præſtat, tanquam ejus σφραγὶς καὶ ἐπερώτημα, ἐνέχυρον, pignus, arrha, eſſe poteſt. Aliud etiam eſt κοινωνία *communio*: aliud μετάδοσις *communicatio*, corporis videlicet,per porrectas panis ſpecies in hunc vel illum locum venientis. Non hoc,ſed illo modo Apoſtolus loquitur. Is enim ſtatim ſequente verſu 17. ſe clarè admodum explicat, dicens: ὅτι εἷς ἄρτος ἓν σῶμα οἱ πολλοὶ ἐσμὲν, *quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus*. Hæc diſerta explicatio eſt verborum Apoſtoli, uti particula cauſalis ὅτι indicat. Per panem communionem habere corporis Chriſti,eſt,per panem,videlicet fractum & comeſtum, ἓν σῶμα *unum corpus* cum Chriſto fieri. Hæc illa eſt κοινωνία τοῦ σώματος, *communio corporis Chriſti*. Quomodo autem *multi unum corpus* ſimus? Numquid per localem exiſtentiam corporis Chriſti oraliter manducati in viſceribus credentium? Neutiquam. Jam enim per aliud, nimirum Spiritum Chriſti, ſumus *unum corpus*. Adeóque ad rationem *unius corporis* non requiritur,ut corpus Chriſti oraliter comeſtum corpori noſtro ἀδιαστάτως præſtò ſit. Caro autem, oraliter videlicet comeſta,nihil prodeſt. Spiritus vivificat, Joh. VI. 63. Juxta ipſos etiam Adverſarios non omnes, qui corpus ſic accipiunt, ἓν σῶμα, *unum corpus* ſunt. Et ſic ſumus unum corpus, ſic habemus communionem corporis Chriſti, quemadmodum Jſraelitæ victimas comedentes erant participes unius altaris, v. 18. Numquid verò illi victimas comedentes intra ſe altare condebant, atque

ſic cum altari unum fiebant? Antecedens ex teſtimonio irrefragabili Apoſtoli petitum eſt.

XXXVII. Fortiter heic D. Parochus ingenii ſui vires periclitatur, uti telum iſthoc excutiat. Huc autem denique prolixæ reſponſionis ipſius periſtromata redeunt: *Apoſtolum per panem, quem frangimus, indigetâſſe non ſubſtantiam panis materialis, ſed ſupercœleſtem panem, cibum, ipſum corpus Chriſti de quo Joh. VI. 55. Hoc enim, non panem, frangi dici* 1. *Cor. XI.* 24. *Aliàs cur non dixiſſet: Panis, quem ſumimus, comedimus, ſignificat communionem corporis Chriſti. Cur non: Vinum, ſeu genimen vitis, quod bibimus, communionem ſanguinis ejus notat? Cur calicem benedictionis vocare Paulum, ſi nihil in eo præſtantius vino contineatur? Quomodo fractionem panis unionem cum corpore Chriſti ſignificare? Quomodo panis ſubſtantiam facere nos unum corpus cum Chriſto? Per Spiritum S. utique fieri nos unum corpus cum Chriſto: ſed ſimul etiam per ſupercœleſtem panem, ſeu panem Chriſtum comeſtum, teſte Paulo v.* 17. *ita loquente*: Unus panis unum corpus multi ſumus, *Sed & Paulum dicentem v.* 18. Videte Iſraelem ſecundùm carnem. Nonne qui victimas comedunt, participes ſunt altaris? *non loqui propriè de Iſraelitis carnalibus ſui temporis, qui ante Chriſtum fideles erant, ejus adventum expectantes, ſed de Iſraelitis carnalibus ſui temporis, qui tales erant non ſecundùm fidem ſuorum parentum, ſed ſolùm ſecundùm carnalem generationem, quique tempore Pauli cruentis ſacrificiis uſi, participes fiebant non veri altaris Chriſti, ſed altaris duntaxat materialis. Idq; ex tota ſerie Apoſtolici contextûs liquere. Deniq; eo modo nos per manducationem panis unum cum Chriſto corpus eſſe, quo modo etiam Spiritus S. in nobis eſt,* 1. *Cor. VI.* 19. *At realiter illum, non per ſignificationem duntaxat in nobis eſſe. Ergo realiter etiam nos cum Chriſto unum corpus eſſe,* pag. 310-334.

XXXVIII. Longis equidem verbis, longis ambagibus utitur D. Parochus, ſed ad rei ſummam proficit omnino

nino nihil. Etenim 1. *panem, quem frangimus*, non ſupercœleſtem panem, ſeu Chriſtum, ſed ipſammet panis ſubſtantiam deſignare, jam ſupra manifeſtum fecimus. *Panem*, dicit Adverſarius, vocari à Paulo, *quia talis erat, & ſpeciem panis retinet*. Mirabiles certè tropi, quos neceſſe habent fingere ii, qui à veris & uſitatis tropis toto animo abhorrent! An id, quod fuit, & non eſt amplius, eſt communio corporis Chriſti? Et quidem argumentum, quòd ſimus unum corpus? Apoſtolus enim verſu ſequente, inde, quia *unus panis*, hoc eſt, quia multi uno pane, ejusdem videlicet naturæ, eundem ſcopum habente, veſcimur, multos nos eſſe unum corpus, infert. Ubi argumentum probans cum themate confundi neutiquam debet. Quàm abſurdè diceretur: *Id quod fuit panis, eſt communio corporis Chriſti?* Supponendo pro corpore Chriſti, falſum eſt, corpus Chriſti fuiſſe panem piſtum & coctum in fornace. Neque panis pro accidentibus ponitur, quia neque accidentia panis ſunt panis, neque id, quod ſub accidentibus panis contineri volunt, eſt panis vel communio corporis, neque accidentia ſunt corpus aut communio corporis. Præterea Paulus manifeſtè arguit, eos, qui idolothytis veſcuntur, habere communionem cum dæmoniis, ſicut qui pane veſcitur, communionem habet cum corpore Chriſti. Fac itaque, Apoſtolum ſic locutum eſſe: *Panis*, id eſt, *non panis, corpus Chriſti eſt communio corporis Chriſti*. Annon hoc eſſet nugari? Quid enim hoc ad idolothyta? An idolothyta ſic habent ſe ad dæmones, ut communicatio corporis Chriſti ad communicationem corporis Chriſti? Ubi etiam Chriſtus, ubi Apoſtolus dixit, panem fuiſſe panem, & non amplius eſſe panem, & per panem intelligendum eſſe *non panem?* An hoc eſt literæ inhærere? Quid verò tandem ſibi vult D. Parochus, Apoſtolum 1. Cor. XI. 24. teſtem inducens, quòd non panis, ſed corpus Chriſti in euchariſtia frangatur? Numquid enim non Chriſtus ipſe panem accepit, fregit, & quod ipſe fecit, nos quoque facere,

Digitized by Google

cere,imitari juſſit? Annon Apoſtolus clarè dicit: Ἄρτος ὃν κλῶμεν, *panis, quem frangimus?* Cur ergo D.Parochus negat id,quod ſole meridiano clarius extat? Quinimò cur adverſus ipſum Apoſtolum falſum teſtimonium dicit,qui nuſpiam aſſerit, à nobis in Euchariſtia fractione ſpeciei panis ipſum corpus Chriſti frangi, adeóque occidi,crucifigi. Quippe ſola Chriſti occiſio,crucifixio, ejus fractio eſt. Tam diros Cyclopas, ἀνασταυροῦντας τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, *iterum crucifigentes Filium Dei,* Dominum gloriæ, Hebr.VI. 6. fideles Chriſtianos Apoſtolus doctrinâ ſuâ non fecit. Ita autem verba ejus ſonant, 1.Cor.XI.24. *Hoc eſt corpus meum*, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, non ὃ κλῶμεν, *quod nos frangimus.* Non in Euchariſtia,ſed in cruce fractum eſt Chriſti corpus ὑπὲρ *pro* Corinthiis. Triſte ſupra modum eſt,tam malè Scripturam interpretari cogi illos,qui unum rectè intelligere non volunt,ut S.Jrenæi querelam noſtram heic iterum faciamus. 2.D.Parochum interrogantem,cur Apoſtolus non clarè dixerit: *Panis, quem edimus,vel frangimus, nonne communionem corporis Chriſti ſignificat vel figurat,* liceat pari jure ἀντερωτᾷν: Cur Apoſtolus non clarè etiam dixerit: *Panis, id eſt, non panis, ſeu caro Chriſti, ſpeciebus panis veſtita, cujus ſpeciem, frangimus, at non ſubſtantiam, eſt communio corporis Chriſti, inviſibilis videlicet & indiviſibilis, adeóque Spiritus?* Mihi verò abundè fuit,exegeſin verborum Chriſti oſtendere hactenus,quòd Apoſtolus vice pronominis τοῦτο *Hoc*, adeóque ſubjecti,poſuit diſerta verba: *Panis, quem frangimus*: vice verborum : *Eſt corpus meum*, adeóque prædicati,illa: *Eſt communio corporis Chriſti*; atque illa ipſa verba rurſum ita explicavit,ut docuerit,mentem ſuam eſſe,quòd per participationem panis unum corpus fiamus,cum Chriſto videlicet; adeóque Chriſtum in nobis eſſe,nos in illo: Chriſtum eſſe caput noſtrum,& nos, qui cum fide accipimus ſigillum,eſſe invicem membra: porrò Chriſti etiam ſacrificium pro peccatis, & ad impetrandam juſtitiam oblatum,noſtrum eſſe, quia Chriſtus

Digitized by Google

ſtus noſter eſt. 3. Mirari quinetiam ſubit, in animum veniſſe D. Parocho, ut quæreret: *Cur calicem benedictionis vocaverit Paulus, ſi vino nihil in eo præſtantius contentum fuit?* An enim vinum, ſacramentum & certiſſimum pignus ſanguinis Chriſti à peccatis nos purificantis, benedictione factum ſacroſanctum, non æquè ποτήριον τῆς εὐλογίας, *poculum benedictum* nuncupari poteſt, atque aqua baptiſmalis benedictione conſecrata, *aqua benedicta*, ſicut eſt, ita vocari poteſt? 4. Quòd verò fractionem panis communionem corporis Chriſti ſignificari poſſe negat, id quoque dilutum eſt. Annon fractio panis magis, quàm fractio ſpeciei panis, ſignum communionis cum corpore Chriſti eſſe poteſt? Et unio ac communio noſtra cum Chriſto eſt non tantùm ut reſuſcitato, ſed etiam ut mortuo, fracto, teſte Apoſtolo Rom. VI. 5. Εἰ γὰρ σύμφυτοι γεγόναμεν τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀναστάσεως ἐσόμεθα. *Si enim coaliti (concorpores facti) ſumus ſimilitudine mortis ipſius, etiam reſurrectionis ejus erimus.* Et v. 8. *Si mortui ſumus cum Chriſto, credimus, quòd & vivemus cum ipſo.* Eo igitur pacto, panis benedicti ſubſtantia ex Divino inſtituto, in legitimo uſu, ſignificando, obſignando & exhibendo, facit nos *unum corpus eſſe* cum Chriſto, & invicem membra. 5. Quoad verba Apoſtoli v. 18. *Videte Jſraelem ſecundùm carnem. Nonne comedentes victimas participes fiunt altaris*; ad præſens negotium parùm refert, ſive ea de carnali Jſraele, qualis erat ante Chriſtum, ſive de eo, qualis fuit tempore Apoſtoli, intelligantur. Utrique dici poſſunt κοινωνοὶ τοῦ θυσιαστηρίου, *participes altaris*; illi, ſiquidem vera fide victimas comederunt, ὄντως & κατ' ἀλήθειαν, *ſecundum rei veritatem*; hi φαινομένως καὶ κατὰ δόξαν, *ſecundum opinionem* & intentionem ſuam. Neutri verò cum altari ita communionem habuerunt, ut illud comeſtum intra viſcera ſua conderent, & in ſuccum ſanguinémque ſuum converterent: ſed ita, ut teſtarentur ſpem ſuam de expiatione peccatorum ſuorum, ſive per Chriſtum, cujus altare ſacramen-

Digitized by Google

tum & figura fuit: ſive per opus operatum, qui error fuit Jſraelis carnalis à vera fide deflectentis. Eadem ratione qui panem comedunt, non ita cum corpore Chriſti communionem habent, ut illud comeſtum intra corporis ſui viſcera σύμφυτον & præſens ſortiantur ac recondant. In hoc ſolo argumenti noſtri nervus conſiſtit. Heic Rhodus, heic ſaltus! 6. Denique diſpar planè Spiritus S. & corporis Chriſti ratio eſt. Ille fidelibus omnibus tum eſſentia, tum gratioſa operatione præſentiſſimus eſt. Hoc verò, quia ad dextram Dei glorioſum uſque ad ultimum judicium reſidet, localiter præſens eſſe neutiquam poteſt.

XXXIX. *Quartum* argumentum petitum eſt ex verbis Salvatoris Joh. III. 13. *Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui de Cœlo deſcendit, filius hominis, qui eſt in Cœlo.* Docet manifeſtè, impoſſibile eſſe, quenquam deſcendere de Cœlo in terram, & tamen remanere in Cœlo, ſine deſcenſu locali, niſi Deum, filium hominis. Quomdo igitur Chriſtus ſecundùm naturam ſuam corpore ſuo ita deſcendere poteſt in terram, non mutato loco, ut tamen ſimul maneat in Cœlo? Syllogiſmus hinc ſequens proeuditur:

Quicunque ſine motu locali deſcendit in terram, & ſimul manet in Cœlo, is verus Deus eſt.

Atqui Chriſtus ſecundùm humanam naturam non eſt verus Deus.

Ergo Chriſtus ſecundùm humanam naturam non ſine motu locali deſcendit in terram, & ſimul manet in Cœlo; & conſequenter *in Euchariſtia localiter præſens non eſt.*

XL. Leve argumentum iſthoc D. Parocho videtur. Proinde illud tantùm non ridet & exagitat. Quo jure, videamus. Huc autem reſponſionum ejus anfractus redeunt: *Non dicere Chriſtum, impoſſibile eſſe, ut quiſquam de Cœlo deſcendat, & ſimul in Cœlo maneat; perinde*

Digitized by Google

de ac ſi non dicit, impoſſibile eſſe, ut quisquam aſcendat in Cœlum, niſi qui deſcendit. Utique etiam juſtos quoad corpus in Cœlum aſcenſuros. Quod factum ſemel eſt, poſſibile eſſe, ut iterum fiat. Alibi doceri utique, Chriſtum corporetenus eſſe in Euchariſtia, & ſimul in Cœlo. Abſurdum eſſe, teſte Auguſtino, aliquid geri non poſſe, cujus deſit exemplum. Poſſe utique Deum creare Angelum tantum, quantus eſt mundus, talémque ſimul in Cœlo & in terra extiturum. Denique ſeriem textûs pandere genuinum ſenſum verborum Chriſti, hunc videlicet, credendum eſſe Chriſto, qui in Cœlum aſcendit, & ex Cœlo deſcendit, etſi ea doceat, quæ impoſſibilia carni videntur. Quomodo Nicodemo impoſſibile viſum eſt, hominem renaſci. Id verò pro Synodo facere contra nos, utpote qui Chriſto teſtanti præſentiam ſui corporis credere detrectemus, tanquam rem impoſſibilem tradenti. pag. 334-348.

XLI. Nos verò ut fibras perverſæ hujus interpretationis evellamus, verborum Chriſti genuinam ſeriem paucis trademus. Nicodemus, Judæorum Doctor, noctu Chriſtum convenerat, ab eo tanquam cœleſti Doctore, cœleſtis ſapientiæ hauſturus latices. Chriſtus ipſum docet, *neminem Regnum Dei videre poſſe, niſi naſcatur deſuper*, v. 3. Id verò Nicodemi fidem ſuperavit, dicentis: *Quomodo poteſt homo naſci, qui ſenex eſt*, &c? v. 4. Chriſtus reſpondet, fortiter aſſeverando: *Amen, amen, dico tibi: niſi quis naſcatur ex aqua & ſpiritu, non poteſt intrare in Regnum Dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt*, &c. v. 5-9. Regerit Nicodemus: *Quomodo poſſunt hæc fieri?* v. 9. Chriſtus reſpondet, magis mirandum eſſe, quòd is, qui Doctor Jſraelis cluebat, talia ignoraret. Dein ſubjicit v. 11. *Amen, amen, dico tibi: Quod novimus* (ego videlicet & Spiritus, de quo paulò ante v. 8. locutus fuerat, uti etiam Cyrillus obſervat) *loquimur, & quod vidimus, teſtamur. Et teſtimonium noſtrum non accipitis.* Ita teſtimonii ſui ἀξιοπιστίαν & αὐθεντίαν comprobat. Perinde ac ſi diceret: Deus non tantùm per Spiritum ſuum locu-

tus eſt per Prophetas, ſed etiam nunc loquitur per me, qui regenerabo homines per Spiritum meum, ut regnum Dei videant & recipiant. Uterque autem loquimur propria, & quæ ſcimus; deinde ea, quæ ſunt Dei, ſed ut ſint & noſtra, quia ea vidimus. Ita Chriſtus ipſe, Joh. V. 19. 20. *Amen, Amen, dico vobis : Non poteſt filius quidquam facere ex ſemetipſo, niſi quid facientem VIDERIT Patrem. Quæ enim ipſe facit, eadem filius ſimiliter facit. Pater enim diligit filium, & omnia oſtendit ipſi, quæ ipſe facit.* Quia igitur, innuit Chriſtus, duos teſtes & indices habetis, ſcire debebatis, Regnum Dei, in quo effuſurus eſt Spiritum ſuum & filii, eſſe præ foribus; ſiquidem apparuit filius Dei unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, qui ediſſerit Deum, eúmque videndum demonſtrat, Joh. I. 18. XIV. 6. 9. Oſcitantiam porrò Judæis exprobrat, v. 12. *Si terreſtria dixi vobis, & non creditis, quomodo ſi dixero vobis cœleſtia, credetis?* q. d. Quod dixi de *aqua* munda & purificatione, quæ ſit cauſa regenerationis: nec non de *ſpiritu* effundendo, ut ex eo regeneremini, id in *terra* gerendum eſt. Sed & quod dixi, *Regnum Dei videri* & recipi, in terrâ gerendum eſt. Hactenus igitur terreſtria locutus ſum, ſed à quibus pendent cœleſtia. Regnum enim Dei in terra inchoatum, in Cœlo conſummabitur. Porro in Regno Dei Regem eſſe filium hominis, qui de Cœlo deſcendit, oſtendit v. 13. *Et nemo aſcendit* (aſcenſurus eſt. Prophetis enim mos eſt de futuris loqui ut præſentibus, præeuntes verba illis, qui &, cùm gererentur, viſuri erunt; uti eruditi omnes nôrunt) *in Cœlum, niſi qui ex Cœlo deſcendit, filius hominis, qui eſt in Cœlo.* Hic Chriſtus Nicodemum, Magiſtrum Jſraelis, revocat ad verba Davidis Pſalm. LXVIII. 19. עלית למרום *Aſcendiſti in altum, captivam duxiſti captivitatem &c.* Et deſcenſum innuit non qualemcunque, ſed eum, per quem is, qui deſcendit, & deinde aſcendit, rectè & verè vocetur υἱὸς ἀνθρώπυ *filius hominis.* Arguit igitur, ſe eſſe illum Θεὸν φανερωθέν-

τα ἐν σαρκὶ, Deum manifeſtatum in carne, 1.Tim.III.16. qui ſolus de cœlo deſcenderit, hoc eſt, in carne ſe manifeſtaverit, ut homo fieret, ſimúlque in Cœlo manſerit, & ſolus in Cœlum denuo aſcenſurus ſit, nempe ut Deus in ſua, jure ſuo, potentia & voluntate ſua, non aliena. Similem argumentationem videſis Epheſ.IV.9. Atque hæc explicatio etiam S. Auguſtino, & poſt ipſum verè magnis & excellentibus Scripturæ Interpretibus, Bullingero & Coccejo placuit. Placuit etiam Cajetano, cujus verba ad h. l. apponere lubet: *Ne intelligeret*, inquit, *Nicodemus, deſcenſum hunc fuiſſe, deſerendo terminum à quo, (quemadmodum eſt deſcenſus localis,) ſubjunxit, ſe ſic deſcendiſſe filium hominis, ut tamen remanſerit in Cœlo. Ut hinc intelligeret Nicodemus, ipſum Jeſum eſſe verum Deum, & verum filium hominis, qui ita de Cœlo deſcendit filius hominis, ut tamen ſit in Cœlo. Hoc enim IMPOSSIBILE eſt alteri quàm Deo.* Nunc ergo proclivis reſponſio eſt ad κρησφύγετα Adverſarii. Etenim 1. impoſſibile utique eſt, ut quiſquam aſcendat in Cœlum, ita ut priùs deſcenderit, atque loco non mutato nihilominus in Cœlo extiterit, niſi verus Deus, qui deſcendit, ut manifeſtaretur in carne, loco tamen non mutato in Cœlo remanens. Cur D. Parochus hoc aliis vendicat, atque ita Chriſto obloquitur, aſſerenti, neminem aſcendere, adeóque redire, in propriam videlicet domum, propria virtute, merito, & potentia, niſi qui deſcendit, filius hominis, qui in Cœlo eſt? Si alii, præter ſolum Deum, ita aſcendere poſſunt, non probavit igitur Salvator, quod probare inſtituit, ſe unum videlicet eſſe Salvatorem mundi, Regem Eccleſiæ, viam, veritatem & vitam: vel etiam, ut alii explicant, ſolum illum, & unicum, & magnum Prophetam ac Doctorem Jſraelis. 2. Aliud autem eſt *aſſumi* in Cœlum, ut Spiritus juſtorum aſſumpti ſunt, ut in Cœlo conſummarentur, Hebr.XII.23. & Elias in corpore: aliud ſim il *aſſumi*, ut hominem, Eſaj. LIII. 8. aliud denique *aſcendere*, ut Deum, in ſua, jure meriti ſui, vo-

D 5 luntate

luntate, & potentia propria. Lubet id explicare verbis S. Auguſtini, tract. 12. in Johan. tom. 9. pag. 24. *Ecce hîc erat, & in Cœlo erat. Hîc erat carne, & in Cœlo erat divinitate, imò ubique erat divinitate, &c. Eja, fratres, Deus voluit eſſe filius hominis, homines voluit eſſe filios Dei. Ipſe deſcendit propter nos. Nos aſcendamus propter ipſum. Solus enim deſcendit & aſcendit, qui hoc ait: Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo. Non ergo aſcenſuri ſunt in Cœlum, quos facit filios Dei? Aſcenſuri ſunt plane. Hæc nobis promiſſio eſt: Erunt æquales Angelis Dei. Quomodo ergo nemo aſcendit, niſi qui deſcendit? Quia unus deſcendit, & unus aſcendit. De cœteris quid intelligendum, niſi quia membra ejus erunt, ut unus aſcendat. Propterea ſequitur: Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui de Cœlo deſcendit, filius hominis, qui eſt in Cœlo. Si ergo nemo niſi ille deſcendit & aſcendit, quæ ſpes eſt cœteris? Ea ſpes eſt cœteris. Quia ille propterea deſcendit & aſcendit, ut in illo & cum illo unum eſſent, qui per illum aſcenſuri eſſent.*

3. Locutio D. Parochi, *quòd poſſit Deus creare Angelum aliquem, qui in toto mundo præſens ſit, & ejusdem magnitudinis, cujus eſt corpus mundi, quódque talis Angelus valiturus utique ſit deſcendere de Cœlo in terram, & tamen remanere in Cœlo, ſine deſcenſu locali, etſi non foret Deus,* plane eſt & ἀπαίδευτος & falſa, neque Spiritui S. vel ulli ex vetuſtioribus Doctoribus, ſed novitio cuipiam accepta referri debet. Locum Angeli concipit, ut locum corporis, quaſi videlicet ſicut corpus, ita etiam Spiritus poſſet eſſe in loco, ut περιέχοντι, per extenſionem & commenſurationem, parte extra partem collocata, adeóq; ſicut corpori, ita etiam ſpiritui *magnitudo* extenſionis competeret. Quæ inſignis eſt ἀῤῥωστία τῆς διανοίας. Abſque craſſo ejuſmodi conceptu ægrotantis judicii eſt, dici non poterit, *Deum poſſe creare Angelum ejusdem magnitudinis, cujus eſt corpus mundi.* Quòd ſi tamen Deus ejuſmodi Angelum creare poſſet, imò & actu crearet, dici de eo neutiquam poſſet, *illum de Cœlo deſcendere in*

terram,

Digitized by Google

terram, & ſimul in Cœlo eſſe, ſed hoc demum, illum non ſecundùm ſe totum, &, uti loquuntur, *adæquatè*, ſed ſecundùm partes & in cœlo, & in locis interjectis, & in terra præſentem eſſe, quod nec de Chriſto, filio hominis ſecundùm Divinitatem, quæ ſimpliciſſima ſecundùm partes in loco non eſt, dici poteſt: nec de corpore ejus, quod ne quidem ſecundùm ſe totum in interjectis locis præſens eſſe ſtatuitur, ab ipſis Adverſariis aſſeritur. Solus Deus ſimul Cœlum & terram implet, in Cœlo & in terra eſt impartibiliter, Jerem. XXIII. 23. 24. Pſalm. CXXXIX. 7--10. cujus *thronus* eſt Cœlum, terra *ſuppedaneum*, Eſaj. LXVI. 1. Chriſtiani hominis eſt, pia mente hanc ipſi gloriam ſoli vindicare, non alienare *non-Diis*. 4. An verò putat D. Parochus, nihil ad rem feciſſe doctrinam adeò illuſtrem, qua Chriſtus ſe Nicodemo manifeſtavit θεάνθρωπον & Salvatorem mundi, qui ſine motu locali Divinitate ſua de Cœlo deſcendit, ut fieret *filius hominis*, adeóque homines viſitaret; & ſimul in Cœlo extitit, & ſuo tempore vi meriti ſui, propriáque virtute & potentia in Cœlum aſcenſurus fuerat? 5. Denique nec Adverſarii fidei regulam à Chriſto monſtratam ſequuntur, neque nos cum Nicodemo hac in re ullatenus paria facimus. Nicodemus quippe de re apud omnes Prophetas teſtatiſſima, regeneratione videlicet hominis dubius & anceps animi, ex Chriſto quæſivit: *πῶς δύναται ταῦτα γενέσθαι, quomodo hæc fieri poſſunt?* At nos non à Chriſto, ſed ab hominibus, erroribus utique obnoxiis, rationem & revelationem expoſcimus ejus rei, quam certò cognoſcimus nec revelatam uſpiam, nec rationi conſentaneam eſſe, quámque Adverſarii non ſimpliciter fieri poſſe, ſed quotidie fieri, ingenio ſuo confingere non verecundantur. Hactenus igitur firmo talo ſtat argumentum noſtrum, omni exceptione majus.

XLII. Argumentum *quintum* nobis luculenta Salvatoris noſtri, quæ extat Joh. VI. concio ſuppeditat. Ibi inter alia Chriſtus v. 63. expreſsè docet, *carnem ſuam nihil*

hil prodeſſe, oraliter videlicet manducatam, (talem quippe manducationem Chriſtus ex profeſſo refutat) ſed *Spiritum*, illum videlicet, quo baptizamur in unum corpus, ut ita videamur corpus Chriſti manducâſſe, *vivificare*, & *verba ſua* eſſe *Spiritum & vitam*, hoc eſt, inſtrumentum Spiritûs ad convertendam animam, ut Spiritus Dei per fidem eorum corda purificet, & habitet in nobis ad vitam æternam. Syllogiſmum hinc ſequentem nectimus:

Illud in Euchariſtia præſens eſt, quod utentibus prodeſt.

At caro Chriſti oraliter manducata utentibus nihil prodeſt.

Ergo caro oraliter manducata (vel manducanda) in Euchariſtia præſens non eſt.

Propoſitio inde liquet, quia Euchariſtia ad utilitatem fidelium inſtituta eſt. Aſſumptio ex verbis Salvatoris conſtat.

XLIII. Argumentum hoc meritò *murum aheneum* & *infractum adamantem ὁ πάνυ* Zvvinglius noſter inſignivit. At D. Parocho *mera aranea* eſt. Quàm verè ita appellaverit, ſtramineæ reſponſiones ejus fidem faciunt. Eas contractas repræſentare pio lectori lubet. *Si*, ita arguit ille, *caro Chriſti nihil prodeſt, an plus ſubſtantia panis proderit? Quòd ſi ſubſtantia panis ex ſe nihil prodeſt, at prodeſt ut inſtitutum à Chriſto ſymbolum, utique etiam caro Chriſti proderit plurimùm, quatenus ſub ſpecie panis tanquam ſymbolo continente viva fide manducatur, ut ita non Spiritu tantùm, ſed etiam reipſa carnem manducâſſe dicamur. Si caro Chriſti nihil prodeſt, cur à filio Dei verè & realiter aſſumpta, & in cruce oblata eſt? Annon ita Manichæi ipſi vicerint? Chriſtus non dicit:* Caro mea nihil prodeſt; *ſed ſimpliciter:* Caro nihil prodeſt. *Antiqui Doctores per carnem illam non carnem à Filio Dei aſſumptam, ſed aliud intellexerunt. Sicut carni oppoſitus Spiritus*

Digitized by Google

tus Spiritualia notat: ita caro non carnis Chriſti ſubſtantiam, ſed potiùs quicquid carnale eſt, & Spiritui huic reſiſtit, ſignificat. Si verba Chriſti audimus, eáque ſpiritu noſtro percipimus, quomodo videmur ipſam carnem manducâſſe? Chriſtus carnem & Spiritum opponit, quod uni adſcribitur, id alteri derogat. Quòd ſi igitur hunc Spiritum, de quo loquitur, percipimus, non videbimur carnem Spiritui contrariam, ſed ſolum Spiritum manducâſſe. Caro quoque Chriſti comedi poteſt realiter, et ſi non carnaliter, uti Capernaitæ imaginabantur, ſed ſpiritualiter. Caro Capernaiticè comeſta nihil prodeſt: at realiter & ſpiritualiter comeſta plurimùm. Genuinus denique ſenſus eſt, carnalem verborum Chriſti intelligentiam, quâ hæc à Capernaitis merè carnaliter intelligebantur, nihil prodeſſe. Atque ita caro paſſim, nominatim Geneſ. VI. 3. 5. Matth. XVI. 17. Rom. VIII. 4. &c. accipitur. Hunc ſenſum etiam tenent S. Auguſtinus, Cyprianus & Chryſoſtomus. pag. 348--378.

XLIV. In reſponſione hac mirè ſibi D. Parochus placet. Cæterùm caducum in parietem ipſum inclinare, ſequentia manifeſtum facient. Fatemur, carnem Chriſti pro nobis datam in mortem, vitam mundi eſſe, adeóque prodeſſe plurimùm, & amplius quàm ulla, quantumvis eloquens hominis lingua, exponere valeat. Hoſtia enim eſt ſalutaris, expiatio mundi, pignus ſalutis, arrhabo ſpei & reſurrectionis noſtræ. Nihil igitur heic cum execranda Manichæorum hæreſi conſtitutum habemus. Fatemur quinetiam, carnem Chriſti manducandam eſſe, adeò quidem, ut qui non manducat, vitam in ſe ipſo habere non poſſit, Joh. VI. 53. 54. Totius quæſtionis cardo in eo vertitur: An caro Chriſti ore corporis comeſta proſit, nec ne? Hoc nos ex mente Chriſti negamus: aſſerunt illi. quanquam fatentur ſimul, eos, qui carnem Chriſti oraliter manducant, velut infideles, imò canes & mures ipſos, non ſtatim fieri unum cum Chriſto: imò ab indignis comeſtam ore carnem, iis in condemnationem cedere: denique more Capernaitico comeſtam prodeſſe omnino

nihil.

nihil. Et ſanè, ſi Judæorum venter Chriſti corpus ſive integrum, uti cetus corpus Jonæ hauſerat, ſive laceratum abſorpſiſſet, ut infernus, oportuiſſet nihilominus eum reſurgere; neque ea re domus ejus facti eſſent. Ut unum ſimus cum Chriſto, non corporum mixtione efficitur, ſed mentis per fidem migratione in ipſum.

XLV. Ut verò nervos reſponſionis Adverſarii incidamus, paucis duo demonſtranda ſunt, alterum, per *σάρκα*, *carnem* in verbis Salvatoris non *carnale* hominis ingenium & intelligentiam, ſed carnem Chriſti; nec par *Spiritum* ſpirituale duntaxat & illuminatum hominis ingenium intelligi: alterum, carnem Chriſti nec in partes diſſectam, nec integram imò indiviſibilem, comeſtam quicquam prodeſſe, adeóque utrúmque manducationis modum aſſertione Chriſti ex æquo refelli. Prius quod attinet, ipſa continua verborum Chriſti ſeries evincit, non aliud quàm carnem Chriſti intelligi. Dixerat Chriſtus v. 51. panem, quem is daturus erat, eſſe *carnem* ſuam, quam daturus erat *pro vita mundi*. Hinc orta inter Judæos contentio, ſciſcitantes: *Quomodo poteſt ille nobis dare carnem ſuam comedendam?* v. 52. Hinc *carnis* ſuæ *comedendæ* neceſſitatem fusè Salvator demonſtrat v. 53.-59. ubi quartùm *σαρκὸς*, *carnis* ſuæ meminit. Cùm ne ſic quidem murmura ceſſarent, & Capernaitæ ac diſcipuli nonnulli malè conſulti (confer. v. 66.) ſermonem Chriſti tanquam *σκληρὸν*, *durum* traducerent, Chriſtóque cordium ſcrutatori arcana eorum ſenſa facilè paterent, is novum ſermonem orditur, quo demonſtrat, non eſſe, quòd ſermone eo ſcandalizentur, idque quatuor argumentis. *Primò*, quia filium hominis viſuri eſſent aſcendentem eò, ubi ante erat, v. 62. *Secundò*, quia Spiritus, Chriſti videlicet, per quem in Chriſto ſumus, & ille in nobis, adeóque baptizamur in unum corpus, vivificet, v. 63. *Tertiò*, quia caro nihil proſit, manducata videlicet ore. de tali enim manducatione carnis loquitur, quam Judæi impoſſibilem judicabant, v. 63. *Quartò*,

rò, quia Spiritus, Chriſti nempe & fidelium, per verba, promiſſionis videlicet, cordi fidelium à Spiritu S. inſcripta, vivificet, ibid. Hinc igitur evidenter liquet, de carne Chriſti ſermonem eſſe. De ea quippe toties in præcedentibus Chriſtus locutus fuerat: de ea ore comedenda dubitaverant Capernaitæ: de ea, ad propoſitum utique, reſpondet Chriſtus, docétque, eam ita, uti Capernaitæ ſibi fingebant, manducatam nihil prodeſſe: at prodeſſe tum demum, ſi Spiritus Sanctus verba Salvatoris de carne vivificante, per fidem videlicet in verbum promiſſionis, manducanda, cordibus fidelium inſcripſerit. Detorſio autem Adverſarii totum ſermonis Chriſti nexum convellit, & inducit Chriſtum neutiquam, in ſpecie quidem, ad quæſtionem Capernaitarum reſpondentem, nec omnino ambigua litium fata dirimentem. Etenim ſententia illa Chriſti ita generaliter, uti vellet D. Parochus, expoſita, applicari poſſet cuilibet dogmati fidei Chriſtianæ malè intellecto, neque faceret quidquam ad leniendam duritiem illam, quam ex ſermone Domini Capernaitæ, Judæi & diſcipuli nonnulli conceperant. Quid quòd Chriſtus *verba* ſua, quæ locutus fuerat, vocat *Spirituum* & *vitam*. Non igitur *Spiritus* ſpirituale duntaxat ingenium hominis, carnali oppoſitum ſignificat, ſed verba Chriſti de manducanda carne ſua, quæ Spiritus S. in cordibus credentium efficacia reddit. Meritò igitur de carne Chriſti heic agi, unâ nobiſcum, teſte Maldonato *in Joh. VI. 51.* multi etiam Papiſtæ agnoſcunt.

XLVI. Neque contra exceptiones Adverſarii, quas *pag* 362--365. cumulat, titivillitio valent. Non dixit Chriſtus: *Caro mea.* Carnem tamen ſuam intellexiſſe, præcedentia arguunt. Omiſit autem dicere, *caro mea,* quia de carne, ſua quidem, loquebatur, ſed relata ad intelligentiam Capernaitarum. Quo autem ſenſu caro Chriſti proſit, vel non proſit, abundè jam ex poſuimus. Ipſi Adverſarii fatentur, carnem Chriſti ab indignis, canibus, muribus, vel more Capernaitico manducatam nihil prodeſſe,

Digitized by Google

deſſe. Neque etiam *Spiritus* ſpirituale duntaxat ingenium, ſed ipſum Spiritum S. ejus authorem, denotat. Opponit ſanè Chriſtus carnem & Spiritum, quódque uni vendicat, id derogat alteri. At Spiritui vendicat, quòd vivificet. Id ipſum igitur derogat carni, ore videlicet, uti Capernaitæ ſomniabant, comeſtæ. Neque etiam, uti falsò arguit D. Parochus, ita videbimur ſolum Spiritum manducâſſe, non carnem. Neque enim Chriſtus uſpiam dixit, Spiritum nobis manducandum eſſe. De carne ſua manducanda v. 53--59. locutus fuerat. At ita demum carnem ſuam manducari, & vivificam in nobis fieri, oſtendit v. 61. 62. ſi Spiritus S. per quem Chriſtus in nobis habitat, efficaciſſima ἐνεργείᾳ ſua id efficiat, ut verbis Chriſti carnem ſuam comedendam ori non corporis, ſed fidei offerentis, adeóque ſe ipſum totum unâ cum pretioſiſſimo merito ſuo nobis largiſſimè addicentis, cum πληροφορίᾳ credamus, ad ipſum tanquam ſalutis noſtræ arcem confugiamus, & per ipſum cum Patre offenſo pacem auſpicatiſſimam ineamus. An quæſo auſit adhuc dicere D. Parochus: *Si verba Chriſti audimus, eáque Spiritu* (ſancto videlicet, qui Chriſti & fidelium Spiritus eſt) *percipimus* (viva videlicet fide) *quomodo videmur ipſam carnem manducâſſe?* Patiatur, per ſalutem ejus oro, manifeſtum errorem ſuum ſe dedoceri ab ipſo veritatis ore, Chriſto, ita loquente: *Amen, Amen dico vobis, quòd audiens ſermonem meum, & credens ei, qui miſit me, habet vitam æternam*, Joh. V. 24. Nemo autem niſi ὁ τρώγων τὴν σάρκα *carnem manducans* habere vitam æternam poteſt, Joh. VI. 53. 54. Audiat iterum Chriſtum loquentem: *Ego ſum panis vitæ. Qui venit ad me, non eſuriet. Qui credit in me, non ſitiet unquam*, Joh. VI. 35. coll. cum v. 51.

XLVII. Jam etiam carnem Chriſti, ſive laceratam, ſive, uti Adverſarii volunt, ſub ſpeciebus panis integram, indiviſibilem, ſpiritualem, ore corporis, & quidem *ſpiritualiter*, ſpiritu videlicet mentem hominis ad percipiendum myſterium illud animante, comeſtam, nihil prodeſſe,

deſſe,

Digitized by Google

deeſſe, æquè manifeſtum eſt. Largiuntur id Adverſarii de carne Chriſti dentibus lacerata & diſcerptà. quanquam Concilium Romanum Pontifice Nicolao II. habitum Berengarium in ejuſmodi verba jurare ſubegit, *quod panis & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolùm Sacramentum, ſed etiam verum corpus & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit, & ſenſualiter non ſolùm in Sacramento, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractetur, frangatur, & dentibus fidelium atteratur.* Bene equidem eſt, quòd Adverſariis melior virtus in præcordia rediit, ut haberi ampliùs nolint illi, qui corpus Chriſti *dentibus frangant & atterant.* Interim nec alter ille modus manducationis oralis, quâ corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis integrum, indiviſibile & ſpirituale ore corporis comedatur, ullatenus conſiſtere poteſt. Etenim *primò* Capernaitis haud dubiè non id tantùm durius æquo viſum eſt, quòd Chriſtum corpus ſuum dilaniandum exponere, turpi παρερμηνείᾳ verborum ejus, exiſtimârunt: Sed illud inprimis, quòd verum & naturale corpus hominis per corporis inſtrumenta, os, dentes, palatum, œſophagum, ſtomachum, abſorbendum & manducandum ſibi à Chriſto offerri, carnali judicio ſuo reputârunt. Illud inprimis durum videbatur. Eſto enim, corpus Chriſti per corporis inſtrumenta manducandum, in ſtomachum trajiciendum ſit. Annon σκληρὸν, *durum* id videbitur, ſive in partes diſcerptum, ſive integrum & indiviſibile manducandum ſit? Fortè poſterius Adverſariis errori aſſuetis non ampliùs durum videbitur: at iis, qui rem totam ſine præjudicio ad verbi Divini & ſanæ rationis normam exigunt, non poterit non durum videri, proponi corpus indiviſibile, & tantùm non in Spiritum converſum, manducandum ore corporis, quod tamen circa corpus Chriſti nullam omnino operationem, qualis in vera manducatione locum habet, exerit. *Secundò* Chriſtus in reſponſione ſua neutiquam diſtinguit modos manducationis oralis, ita ut rejiciat quidem manducationem alteram, quæ fit per maſticationem, diſſectio-

nem partium: alteram verò, quæ fieri ſtatuitur per deglutitionem rei integræ, inviſibilis & indiviſibilis, aſſerat & ſtatuminet. Et tamen id neceſſariò faciundum erat, ſiquidem ex mente Adverſariorum reſpondere, quin &, quod feciſſe Adverſarii fatentur, offendiculum amovere voluiſſet. Quæſo Te, Amice, quomodo *ſpiritualiter*, hoc eſt, ſpiritu tuo lumine verbi revelati colluſtrato, manducare poteris corpus Chriſti indiviſibile, ſi deficiat te revelatio, ſi verbum Dei nuſpiam tibi pandat tantum myſterium, quòd corpus Chriſti ore corporis non quidem maſticandum, lacerandum, ſed integrum & indiviſibile deglutiendum ſit? Quinimò *tertiò* Chriſtus in reſponſione ſua indefinitè loquitur: *Spiritus vivificat, caro non prodeſt*, oraliter videlicet, uti Capernaitæ intelligebant, manducata. Noſtrum autem non eſt, proprio ex ingenio addere verbis Chriſti, ἐπιδιατάσσεσθαι τῇ διαθήκῃ, & figmento humano ipſam verborum Chriſti vim eludere. *Quartò* in reſponſione ſua Chriſtus ejuſmodi argumentis utitur, quæ quamlibet oralem manducationem carnis, ſeu corporis ipſius, in ſolidum excludunt. Opponit enim aſcenſionem ſuam in locum ubi ante erat, v. 62. Corpus terram relinquens, & in Cœlum aſcendens, in terra nec fractum, nec integrum & indiviſibile ore corporis manducari poteſt. Tum ait, *Spiritum vivificare*, oppoſitè videlicet ad carnem ore comeſtam. Cùm enim certum ſit, eum, qui Spiritum Chriſti habet, eſſe in Chriſto, & vitam habere, non putandum utique, opus eſſe manducatione orali carnis Chriſti, ut vitam in ejus communione habeamus. Etenim ſi hæc neceſſaria foret, Spiritus non vivificaret. Præterea Chriſtus opponit heic Spiritum & carnem. Quòd ſi igitur caro oralem manducationem deſignat, Spiritus eidem oppoſitus eandem oralem manducationem affirmare & complecti neutiquam poterit. Cúmque Adverſarii pertendant, Spiritum heic ſumi pro ſpirituali intelligentia, quis dixerit, manducationem, quæ fit ore

&

Digitized by Google

& faucibus, organiſque merè carnalibus, eſſe *ſpiritualem* manducationis, de qua Dominus loquitur, *intelligentiam?* Figmentum illud de *ſpirituali*, neſcio qua manducatione, quæ tamen interea corporalis quoque ſit, quovis ſomnio vanius, & ipſis tenebris tenebricoſius eſt. Addit Chriſtus verſ. 63. *Caro non prodeſt quicquam. Verba, quæ ego loquor vobis, Spiritus & vita ſunt.* Carnem nominat, ore videlicet corporis quocunque modo propriè comeſtam, eique opponit Spiritum non per deglutitionem carnis, ſed per verbum operantem.

XLVII. Neque verò obſtat, quòd S. Patres nonnulli, Cyprianus inprimis & Auguſtinus, ab Adverſario pag. 367. & 374. laudati, verba Chriſti oppoſita carnali judicio Capernaitarum, qui Chriſti corpus laniandum putaverint, aſſerunt. Equidem id ita habere, nulli dubitamus; non tamen ita, ut excludatur modus alter, illi ſimilimus, quo corpus Chriſti non laniandum equidem & diſcerpendum, ſed integrum ore corporis abſumendum & degluriendum ſtatuitur. Neque enim vel Chriſtus, vel ex mente ejus S. illi Patres ita præciſè de dilaniatione corporis Chriſti loquuntur, ut nullam aliam interpretationem admittendam, niſi quæ huic dilaniationi mordicus hæreat, innuant: ſed ὡς ἐν τύπῳ, ita videlicet, ut inſinuent, imaginatos eſſe Capernaitas, corporali quadam ratione eſſe comedendam eandem carnem. exempli gratia, ut fit, cùm laniantur agni carnes, & dentibus manduntur, qui modus etſi diſertè hanc laniationem includat, alias tamen manducationis corporalis ſpecies non excludit. Alioquin laniatio apud ſolum Cyprianum & Auguſtinum legitur. Reliqui generaliùs manducationem carnis ἁπλεύστι. Cyrillus *Mystagog.* 4. ſimpliciter σαρκοφαγίαν nominat. Chryſoſtomus quoque *homil.* 46 *in Joh.* ἐμφατικωτάτως negat, verba Chriſti quicquam habere σαρκικὸν *carnale*; adeóque à manducatione illa removet etiam dentes, palatum, œſophagum, ſtomachum, quæ membra tamen neceſſariò & diſertè cum

Capernaitis hodierni quoque Papiſtæ retinent. Removet idem Chryſoſtomus omnem ἀκολουθίαν φυσικὴν, *conſequentiam naturalem*, qualis haud dubiè eſt illa: *Editur: Ergo in fruſtra minuitur, laniatúrque: ergo in os ingeritur, per gulam demittitur, in ſtomachum defertur, concoquitur &c.* Hæ omnes ſunt ἀκολουθίαι φυσικαὶ, *conſequentiæ naturales*, quas Chryſoſtomus diſertè rejicit. Quinimò carnali imaginationi myſticum ſenſum opponit: ἅπερ ἔδει μυστικῶς νοεῖν, *quæ oportebat myſticè intelligere.* At non tantùm laniatio, ſed ne deglutitio quidem myſticus ſenſus eſt. Quippe myſticus ſenſus à litera diſcedit. Quàm latè enim patet vocabulorum propria ſignificatio, tam latè patet literalis ſenſus, & myſticus excluditur. Sicut ſpecies poſita non tollit genus: ita non propterea falſum dixerunt Cyrillus & Chryſoſtomus, quòd contractiùs locuti eſſent Cyprianus & Auguſtinus. Quomodo, qui homines docet eſſe mortales, non propterea negat omnia animalia eſſe mortalia. Neque etiam Cyprianus & Auguſtinus laniationi mordicus hærent. Cyprianus enim non *ſectam* duntaxat, ſed etiam *aſſam* & *elixam* dixit; crudæ non meminit. Quæ conſideratio ſi præciſa eſt, eodem jure negaveris, ipſi improbatum eſum crudæ carnis, quo neges, improbatum deglutitæ. Auguſtinus quoque in Pſalm. 89. *Sacramentum* aliquod commendatum fuiſſe dixit, & *viſibiliter celebratum, ac inviſibiliter intellectum* diſtinxit. Sacramentum ergo ita intelligendum eſt, ut, etſi corpus dicatur comedendum, tamen corpus non comedendum intelligatur, quomodo in omni metaphora id ipſum non dicitur, quod dici videtur. Agnoſcat igitur impoſterum D. Parochus, meritò in verbis illis Chriſti veritatem triumphare, ſéque omnibus heic & Scripturæ & Patrum præſidiis nudatum, nequicquam multis verborum ambagibus veritati obſtrepuiſſe.

XLVIII. Argumentum *ſextum* ex corporali aſcenſione Chriſti in Cœlum depromimus. Etenim fidei Chriſtia-

Chriſtianæ haud poſtremum caput eſt, Chriſtum paulò poſt reſurrectionem ex mortuis corpore ſuo terram reliquiſſe, in Cœlum ad dexteram Dei Patris aſcendiſſe, & ibidem ſtabilem ad finem uſque mundi ſedem fixiſſe. Teſtantur enim S. literæ, Chriſtum videntibus Apoſtolis in Cœlum elevatum eſſe, oportereque, ut Cœlum ipſum recipiat uſque ad tempora reſtitutionis omnium, Act. III. 9. 11. 21. Sed & Chriſtus ipſe Joh. VI. 61. 62. Capernaitis manducationem carnis Chriſti ſiniſtrè interpretantibus, ac ſi videlicet localiter præſens comedi deberet, ſuam in Cœlum aſcenſionem opponit his verbis: *Hoc vos ſcandalizat?* Quid *igitur, ſi videritis filium hominis aſcendentem, ubi priùs erat?* Unde ejuſmodi reſultat argumentum efficaciſſimum:

Qui corpore ſuo, relictâ terrâ, in Cœlum aſcendit, ad dextram Dei conſedit, ibique permanet uſque ad conſummationem ſeculi, is poſt aſcenſionem ſuam corpore ſuo in Euchariſtia localiter præſens non eſt.

Atqui Chriſtus corpore ſuo, relictâ terrâ, in Cœlum aſcendit, ad dextram Dei conſedit, ibique permanet uſque ad conſummationem ſeculi.

Ergo Chriſtus poſt ſuam in Cœlum aſcenſionem, corpore ſuo in Euchariſtia localiter præſens non eſt.

Propoſitio firma certè eſt. Neque enim poteſt idem numero corpus ſimul terram relinquere, & in Cœlo ſedem fixam ſtatuere, ibidémque ad conſummationem uſque ſeculi manere; & ſimul in terra, eodem intervallo temporum, localiter præſens eſſe. Quod corpus terram reliquit, toto illo relictionis tempore localiter ampliùs in terra non eſt. Aſſumptio infallibili Scripturarum teſtimonio nititur.

XLIX. Argumentum iſthoc ut infringat, pluſcula Adverſarius movet. Opponit ante omnia viſionem Pauli, Act. IX. 3. 4. 5. ubi lux ex Cœlo Paulum circumfulſiſſe

fulſiſſe,& Chriſtus cum Paulo humi proſtrato collocutus eſſe narratur. Unde conficere ſatagit, Chriſtum ſimul in Cœlo ad dexteram Dei Patris, & in aëre,ab ipſo Saulo non nimiùm diſtantem fuiſſe: & eadem ratione ſimul in Cœlo,ſimul in Euchariſtia localiter pręſentem eſſe poſſe. Porro Chriſtum in aere vicino corpore tenus præſentem fuiſſe, & cum Paulo colloquia miſcuiſſe, D.Parochus probare nititur, tum *quia lux de Cœlo, utique venientis Chriſti, circumfulſiſſe Saulum dicitur v.3.* tum *quia Saulus vidiſſe dicitur aliquem, quem præ fulgore agnoſcere non poterat, & tamen Dominum vocabat, adeóque non vidit ſedentem ad dexteram Patris, quem faciliùs utique agnoviſſet: tum quia Lucas v.7. innuat, Saulum aliquem & vidiſſe & audiviſſe, comites autem neminem vidiſſe, ſed audiviſſe vocem alicujus non longè diſtantis: tum quia v.17. Ananias ad Saulum dixit, Jeſum ipſi apparuiſſe in via, qua veniebat: tum quia Paulus teſtis corporis Chriſti reſuſcitati eodem modo, quo reliqui Apoſtoli, eſſe non potuerit, ſi Chriſtum corporalibus oculis non vidiſſet: tum denique quia corporalem fuiſſe viſionem etiam S.Chryſtomus homil. 38. & in Cor.15. Ambroſius de Benedict. Patriarch. cap. 12. tom.1. & Enarrat. in Pſal.39. Auguſtinus Epiſt.50. ad Bonifacium, & Cajetanus agnoſcant*, pag.381--393.

L. Ita quidem Adverſarius argumentum ſibi oppoſitum levi flexu eludere potiùs, quàm diſſolvere conatur. Etenim *primò*, corporetenus Chriſtum ad tempus Cœlum deſerentem, Saulus viderit. Quid hoc ad Euchariſtiam, in qua Chriſtum non deſerto Cœlo, inviſibiliter, millies milliéſque inde ab ejus in Cœlum aſcenſu ad conſummationem uſque Seculi latere pertendunt, corporaliter verò videri unquam, disertè negant? *Secundò* ſi Chriſtum corporaliter vidit Saulus, non iccirco in terra, aut prope terram ipſum corpore ſuo conſiſtentem vidit. Annon enim Chriſtus in Cœlo permanens cum Paulo in terra humi proſtrato colloqui potuit? Ita paulò ante Protomartyri Stephano in terra ſupplicium

Digitized by Google

cium ſuſtimenti, in ipſo Cœlo apparuit & viſus eſt, Act. VII. 56. Sanè in Cœlo, & de Cœlo locutum, & in Cœlo viſum à Paulo Chriſtum, ſentiunt Irenæus *lib. 3. cap. 12. & 15.* Baſilius *contra Eunom. lib. 5.* Ephrem. *de Margarit. & in omnes S. Martyr.* Epiphanius *ad fin. tom. 1. & in Anacephalæos*; Cæſarius *Dialog. Interrog. 192.* Gregorius I. *Moral. lib. 3. cap. 11. & 19. 5. &c.* Fatentur quinetiam Eſtius & Juſtinianus Comment. in 1. Cor. 15. *potuiſſe Chriſtum ſe Paulo conſpiciendum præbere, & audiendum è ſupremo Cœlo, ſicut ſe Stephano conſpiciendum præbuit.* Potuiſſe fieri, ut ſpecies rei longinquæ oculis Pauli inſereretur, nemo ſanus dubitaverit. Etiam per opticos tubos illa in oculos adducuntur, quæ procul ſunt, & extra ſphœram viſionis. Id verò magis etiam virtute Dei fieri poteſt. Aliter verò factum eſſe, infirmæ D. Parochi rationes neutiquam ſuadent. Annon enim ſicut Sol, licèt in Cœlo remanens, lumen ſuum diffundit ad terram uſque, ibidémque attentè nimis intuentes excæcat: ita Sol juſtitiæ infinito ſplendidior id ipſum præſtare potuit? Et mirum ſanè eſt, D. Parochum in re adeò clara cæcutire. Nam ſi lux illa prodiit è corpore Chriſti; περιέστραψε *circumfulſit* autem ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, *ex Cœlo*, utique invictè inde ſequitur, Chriſti corpus de Cœlo, non de aëre terræ proximo reſplenduiſſe. Quomodo etiam Paulus hactenus infidelis Chriſtum ad dexteram Dei ſedentem faciliùs cognoſcere potuit, quàm proximè adſtantem? Atqui hactenus de ſeſſione Chriſti ad dexteram Dei nihil dum ipſi innotuerat. Præterea idem corpus Chriſti glorioſum in Cœlo & ex Cœlo refulgens Saulus videre, volente ita Domino, qui יצר עין *finxit oculum*, at comites ejuſdem, eodem nolente, non videre potuerunt. Deus enim unicuique dat videre, ſicut vult. Docent ipſimet Scholaſtici, monente ad h. l. Cornelio à Lapide, *corpus glorioſum ſui ſuaque vocis ſpeciem poſſe diffundere ad unum, non ad cœteros.* Quantò magis id potuit corpus Chriſti glorioſum, infinitæ

Digitized by Google

virtuti τ̃ λόγου hypoſtaticè unitum? Dicitur ſanè Jeſus Paulo ὀφθεὶς ἐν τῇ ὁδῷ, ᾗ ἤρχου *viſus in via, qua veniebat, v.* 17. At Dominus ipſe fuiſſe in via non dicitur, ſed Paulus tantùm in itinere Chriſtum vidiſſe ſtatuitur. Denique quidnî Paulus teſtis eſſe potuit reſurrectionis Chriſti, ſi maximè oculis corporis, & eodem, quo reliqui Apoſtoli, modo corpus Chriſti non vidit? Cur enim idoneus teſtis non fuiſſet eorum, quæ Spiritu divinitus illuſtrato viderat. Etenim Paulus 1. Cor. XV. 6. 7. 8. viſionis quidem ſuæ veritatem adſtruit, at viſionis modos neutiquam adæquat. Imponit igitur S. Chryſoſtomo Adverſarius, qui hac ratione uſus, eum corporalis viſionis teſtem facere conatur. Imponit idem S. Auguſtino, ex cujus verbis, *Epiſt.* 50. *ad Bonifac.* corporalem proſtrationem ac cęcitatem, quam nemo negare poteſt, aſſerentibus, corporalem etiam viſionem arguere nequicquam laborat. Corporalis cæcitas corporalem viſionem, quandiu cæcitas manet, potiùs tollit, quàm ponit. Si S. Auguſtini authoritate ſtandum, profectò vicerim ego. En enim diſerta ejus *in Pſal.* 122. *p.* 314. b. verba: *Quoniam ipſe, qui in Cœlo poſitus eſt, & carne ſuſcitatâ immortalis, per quam fuit ad tempus mortalis, & nihil in cœlo perſecutionum patiens, nihil malitiarum & opprobriorum, ſicut in hac terra, quando pro nobis omnia ſuſtinere dignatus eſt, compaſſus tamen corpori ſuo in terra laboranti, dixit: Saule, Saule, quid me perſequeris? Jam ipſum nemo tangebat, & ſe pati perſecutionem de cœlo clamabat. Non præter ſpem eſſe debemus, imò cum magna fiducia præſumere; quia ſi per charitatem ipſe nobiſcum in terra eſt, per eandem charitatem & nos cum eo in Cœlo ſumus. Sed dixi, quemadmodum ipſe nobiſcum in terra ſit, vocem ejus diximus de Cœlo ſonantis: Saule, Saule, quid me perſequeris?* De cœlo, eo videlicet, *in quo & nos per charitatem ſumus,* adeóque non aëreo ſed ſupremo, vocem Chriſti ſonuiſſe clariſſimè affirmat.

LI. Chriſtum in Cœlum aſcendiſſe, & ibidem manere *circumſcriptivè*, & ſimul in terra eſſe *definitivè*, D.

Paro-

Parochus *pag*.393.394. nudè aſſerit, non probat. Hactenus ſanior & philoſophia & Theologia docuit, corpora in loco eſſe nonniſi *circumſcriptivè*, Spiritus verò nonniſi *definitivè*. Neque aſſenſum à prudente quoque impetrabit Adverſarius, niſi corpus fieri poſſe, & Chriſti corpus actu factum eſſe *Spiritum*, comprobaverit. Nos verò ab ejuſmodi figmentis, quibus haud aliter quàm fumis Alchymiſticis caro Chriſti in nihilum redigitur, procul abſumus.

LII. Verba porro Chriſti, ex Joh. VI. 61. 62. allegata, ipſámque adeò localem aſcenſionem corporis Chriſti in Cœlum, locali corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiæ non obſtare, D. Parochus probare operosè conatur: primò, *quia SS. Doctores antiquæ Eccleſiæ ſubſtantialem corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam, ſimul & aſcenſionem Chriſti in Cœlum firmiter crediderint; neque eorum quiſquam ex eo loco impoſſibilitatem præſentiæ Chriſti oppugnaverit:* ſecundò, *quia Chriſtus verba illa oppoſuerit modo manducationis oralis cruento et Capernaitico, non cuilibet manducationis oralis modo:* tertiò, *quia Johannes verbis illis Chriſti mox v. 66 ſubjungat, propter ſermonem Chriſti multos diſcipulos ejus retro iviſſe, & non ampliùs cum eo ambulâſſe; non facturos ita, ſi Chriſtus verbis illis ſpiritualem manducationem facilem creditu, liquidò demonſtrâſſet, & oralem evertiſſet:* quartò, *quia Chriſtus verbis illis difficultatem ſolverit, demonſtrando, ſibi infallibili veritatis magiſtro, de Cœlo venienti, credendum eſſe, etſi id quod doceat, nondum caperent; uti etiam S. Chryſoſtomus explicet:* quintò, *quia aliâs Chriſtus expreſsè dixiſſet, ſua verba non de carnali vel ſubſtantiali, ſed ſpirituali manducatione intelligenda eſſe. pag*. 394--408. Sed verba heic mera nobis dat D. Parochus, pace ejus dixerim. De Patrum ſententia poſtmodum videro. Neque cruento, carnali & Capernaitico duntaxat manducationi oralis modo, ſed cuilibet orali manducationis corporis Chriſti, verba ejus oppoſita eſſe, jam ſuprà certam fi-

dem fecimus. Manifeſtum quinetiam eſt, aſcenſionem oppoſitam eſſe non ſoli lacerationi Capernaiticæ, ſed præſentiæ etiam locali. Si verba Chriſti non valent adverſus oralem & carnalem manducationem, non valebunt etiam adverſus laniationem. Si me dicente: *Chriſtus aſcendit in Cœlos: Ergo non manducatur in terris corporaliter*; D. Parochus conſequentiam neget, ego quoque dicente ipſo: *Aſcendit in Cœlos integer: Ergo non laniatur in terris*; itidem conſequentiam negavero. Non enim magis repugnat integritas laniationi, quàm abſentia manducationi corporali. Retro iverunt πολλοὶ τῶν μαθητῶν, *multi diſcipulorum Chriſti*, neque ampliùs cum ipſo ambulârunt, fateor. Id verò non tam defectum liquidæ demonſtrationis, (nam certè veritatem Chriſtus, quiſcunque ſenſus ſit, demonſtravit) quàm duritiem & ſtuporem verbum Dei ſcrutari dedignantium, arguit. Quid verò promptius erat collectu, quàm illud, Chriſti corpus non eſſe oraliter manducandum, quia aſcenſurum erat in Cœlum? Non poterat utique filius hominis corpus ſuum videri ori hominum ingeſturus, qui in Cœlum ſuſcipiendus, terram relicturus, in Cœlo manſurus erat, donec redeat ad judicium, & eo modo redeat, quemadmodum aſcendit. Quod autem viſibiliter aufertur, id inviſibiliter non adeſt. Simul enim abeſſet, & adeſſet idem. Planum quinetiam eſt, quâ ratione Chriſtus ſolverit argumentum τῶν γογγυςῶν. Objectio eorum erat: *Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire?* q. d. *Omnis manducatio carnalis humanæ carnis vel ſolo auditu horrenda eſt. At Chriſtus jubet ſuam carnem carnaliter comedi. Ergo jubet id, quod ſolo auditu horrendum eſt.* Chriſtus reſpondet, non directè, negata alterutra antecedentis parte, ſed obliquè, oppoſito eo, unde ſciri poſſet, utra pars neganda eſſet. Opponit enim ſuum aſcenſum. At manifeſtum eſt, eum non pertinere ad negationem majoris, ſed minoris, hoc videlicet ſenſu: Non poteſt caro illata in Cœlos dari in cibum in terris. At caro mea inferetur

Digitized by Google

retur in Cœlos. Non igitur in terris dari poterit in cibum corporalem. Ratio majoris manifeſta erat, quia cibum corporalem utenti eſſe propinquum maximè oportet. At carnis in Cœlo locatæ ab iis, qui in terra ſunt, diſtantia locorum eſt immenſa. Proin vel ſenſibus teſtibus, manifeſta erat demonſtratio ſolutionis directæ. Solutio verò, quam Chriſto D. Parochus tribuit, cum verbis ejus minimè convenit. Non enim in futurum, cùm aſcenſurus erat in cœlum, intelligentiam promiſit: Sed inpræſentiarum ſcandalo occurrere, & verba ſua ita explicare voluit, ut quivis attentus mentem ejus aſſequi poſſet. Neque ſequeretur, poſita explicatione D. Parochi: *Nunc vos ſermo meus, quo carnem meam vobis in cibum do, ſcandalizat: Ergo cùm filium hominis aſcendentem in Cœlum, ubi priùs erat, videritis, quid tum fiet?* Potiùs contrarium ſequeretur: *tum demum cognoſcetis, ſermonem meum, fidem mihi habebitis, tanquam probaturo aſcenſu meo magiſterium & infallibilitatem meam.* Et numquid non hæc reſponſio adeò generalis fuiſſet, ut cuilibet dubitationi, undecunque motæ, opponi potuiſſet? Imò non tantùm obſcura, ſed incerta etiam & ambigua, cùm etiam Angeli ſæpiſſimè aſcendant in Cœlos, ubi priùs erant, quibus tamen propterea Divina ἀξιοπιστία non convenit. Nam ſi Angelus aliud Evangelium prædicaret, ei credere diſertè vetamur Gal. I. 8. Ne dicam, etiam malos Angelos in Cœlum aſcendere, uti ex hiſtoria Jobi liquet. At ſolutio Chriſti, ſenſu noſtro explicata, ita videlicet, ut docere Chriſtus voluerit, verba ſua intelligenda non eſſe de manducatione carnis localiter præſentis, utpote quæ aſcenſura ſit in Cœlum, quamvis obliqua, clara tamen & conſequens eſt, neque difficultatis quicquam obtinet. Scrupuli à D. Parocho oppoſiti prudentem neminem urgent. Neque etiam verba Chriſti ad Nicodemum prolata Joh. III. 13. vel ſimilia ſunt illis, quæ Capernaitis heic opponunt, cùm non dicatur ibi, ὅπου ἦν, *ubi erat*, ſed ὁ ὢν, *qui eſt* in Cælo; ex quibus proin verbis diſſimilimis, veteres ἀξιοπιστίαν ver-

borum Chriſti aptiùs collegerunt: vel infallibilitatem Chriſti, cœleſtis Doctoris, ſaltem ex ſcopo loquentis, probant, uti ſuperiùs animadvertimus.

LIII. Minùs bona fide S. Chryſoſtomum heic Adverſarius allegat. Neque enim is putat, Chriſtum verbis illis: *Si igitur videritis filium hominis aſcendentem &c.* ſibi, tanquam cœleſti Doctori, fidem aſtruere voluiſſe: ſed omnia, quæ hactenus dixerat Chriſtus, eò tendere indicat, ut Capernaitæ intelligant, Chriſtum non eſſe nudum hominem, filium Joſephi. Πάντα δὲ, inquit, *ποιεῖ καὶ λέγει, ὥστε αὐτοὺς ἀπαγαγεῖν τοῦ νομίζειν, αὐτοῦ πατέρα τὸν Ἰωσήφ. Omnia hac & facit et dicit, ut abduceret eos ab hac opinione, quòd pater ejus ſit Joſephus.* Quòd dixit Chriſtus, ſe deſcendiſſe ex cœlo, ſe vitam mundi eſſe, ſe aſcenſurum eò, ubi priùs erat, hæc omnia eò dicta eſſe innuit, ut intelligant, non nudum Joſephi ſe filium eſſe. Rectè tamen Toletus ipſe expoſitionem hanc *duram* vocat, addita ratione: *Illa enim multum à præſenti ſententia diſtant, quæ ad proxima refertur, nempe ad ſcandalum, quia dixerat: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Tunc enim illi dixerant: Durus eſt hic ſermo, ad quod Dominus reſpondit: Hoc vos ſcandalizat? Et perſequens adjunxit: Si ergo videritis filium hominis. Verba igitur hæc referuntur ad ſcandalum, de carne & ſanguine in cibum & potum vitæ dandis.* Cyrillus *lib. 4. in Joh. cap. 22.* exiſtimavit ſanè, Chriſtum his verbis argumentum oſtendiſſe ſuæ potentiæ, ut perſuaderet, ſe carnem ſuam poſſe dare in cibum. *Si putatis,* ita Chriſtum loquentem inducit, *carnem meam vitam vobis afferre non poſſe, quomodo tanquam volucris in cœlum aſcendet?* &c. At hanc ipſam quoque rationem à ſcopo aberrare manifeſtum eſt. Neque enim verba Capernaitarum impoſſibilitatem opponebant nutriendi, ſed horrorem comedendi. Dicunt enim: *Quis poteſt audire?* Omnium optimè verba hæc interpretatus eſt S. Auguſtinus *tract. 27. in Joh.* ita loquens: *Hinc ſolvit, quod illos moverat. Hinc planè, ſi intelligerent.*

Illi enim putabant, eum erogaturum corpus ſuum: ille autem dixit, ſe aſcenſurum in cœlum: utique integrum. Cùm videritis filium hominis aſcendentem ubi priùs erat: certò vel tunc videbitis, quia non eo modo, quo putatis, erogat corpus ſuum: certò vel tunc intelligetis, quia gratia ejus non conſumitur morſibus. Prudentiſſimè S. Pater aſcenſum Chriſti *erogationi corporis* ejus in cibum, oppoſitum eſſe monet. Neque obſtat, quòd addit, *gratiam non conſumi morſibus*, adeóque aſcenſionem laniationi opponit. Illud enim additum non exceptionis, ſed illuſtrationis gratiâ, ut non propterea non excludatur quælibet manducatio carnalis. Sufficit, ſolutionem eſſe ab oppoſitione. Cæteroquin aſcenſionem non laniationi duntaxat, ſed inprimis præſentiæ locali opponi, notorium eſt.

LIV. *Septimum* argumentum ex natura corporis Chriſti arceſſitum eſt. Teſtatur enim Apoſtolus, Chriſtum habuiſſe corpus *ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων, in ſimilitudine hominum*, Phil. II. 7. *ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας in ſimilitudine carnis peccati*, hoc eſt, tali carne, qualis eſt caro peccatoris, excepto peccato, Rom. VIII. 3. denique habuiſſe illum carnem & oſſa, adeóque non fuiſſe Spiritum, Luc. XXIV. 39. Tale igitur cùm fuerit, ſitque corpus Chriſti, neceſſum eſt, fuerit, ſítque finitum, extenſum, palpabile, viſibile, circumcœſura finitum, & ſuis dimenſionibus circumſcriptum. Proinde non poteſt eſſe præſens in cœlo quidem *circumſcriptivè*, per modum corporis: in euchariſtia verò *definitivè*, per modum Angeli ſive Spiritus, quaſi videlicet verum corpus, ſimile noſtro, poſſit & habere modum corporis, & ſimul non habere, adeóque ſine modo corporis eſſe corpus: neque tantùm *definitivè*, ſed etiam *repletivè*, cùm dicant, pluribus in locis eſſe ſive circumſcriptivè, ſive definitivè, quaſi non quod definitivè dicitur eſſe in loco, eo ipſo dicatur *hîc* eſſe, & non *alibi*. Tam non poteſt verum corpus eſſe in loco definitivè vel repletivè, quàm non poteſt eſſe Angelus vel Deus. Lubet hinc ſyllogiſmum ejuſmodi exſculpere: *Qui-*

Digitized by Google

Quicunque corpus habuit, habétque humanum, ſimile noſtro, excepto peccato, adeóque extenſum, finitum, circumſcriptum, habens carnem & oſſa, is corpore ſuo non eſt ſimul in Cœlo circumſcriptivè, ſimul in Euchariſtia non circumſcriptivè, ſed definitivè, inviſibiliter & indiviſibiliter.

Atqui Chriſtus corpus habuit, habétque humanum, ſimile noſtro, excepto peccato, adeóque extenſum, finitum, circumſcriptum, habens carnem & oſſa.

Ergo Chriſtus corpore ſuo non eſt ſimul in cœlo circumſcriptivè, ſimul in Euchariſtia non circumſcriptivè, ſed definitivè, inviſibiliter & indiviſibiliter.

Propoſitionis conſequentia ἀνεξαγώνιος eſt. Non poteſt enim ſubſtantia oppoſitæ & toto genere diverſæ ſubſtantiæ proprietates induere, quin ſubſtantia prior eſſe deſinat, & poſterioris naturam induat. Ita ſana ratio unanimi conſenſu omnium eâ utentium docet. Neque revelatio rationem hanc tollit. Aſſumptio eſt ἔγγραφος.

LV. Ut argumento huic ſatisfaciat Adverſarius, ingenii ſui nervos intendit. Quo verò ſucceſſu, videamus. Reſponſionem ejus συλλήβδην iterabimus. Ait igitur, *corporis humani proprietatem eſſe non eam duntaxat, ut ſit finitum, extenſum, palpabile, ſed etiam, ut ſit animale, corruptibile, infirmum. Sicut igitur ablata corruptibilitate & infirmitate illa corpus humanum, adeóque etiam Chriſti glorioſum fieri, & incorruptibilitatem induere potuit: ita etiam ablata, per omnipotentiam Dei, extenſione, finitate, circumſcriptione, idem ſpirituale fieri, & proprietates Spiritûs induere, atque ita incircumſcriptum, inviſibile & indiviſibile in Euchariſtia exiſtere potuiſſe & poſſe. Teſtari quippe Apoſtolum* 1. Cor. XV. 43. 44. *ſeminari corpus humanum in corruptione, ſurgere in incorruptione; ſeminari in ignobilitate, ſurgere in gloria: ſeminari in infirmitate, ſurgere in virtute; ſeminari corpus animale, ſurgere ſpiritu-*

tuale,non quoad ſubſtantiam utique , ſed quoad qualitates corpori animali proprias,has deponendo;& qualitates quaſdam ſpirituales recipiendo.Si aliquæ hujusmodi qualitates jam actu in corporibus glorioſis mutatæ ſint, cur non poſſint per Divinam potentiam mutari & aliæ? Pro diverſitate temporis vel loci poſſe corpus habere alium atque alium modum , in uno loco præſentiam circumſcriptivam , in alio definitivam: ſicut idem corpus hodie habere poteſt modum corporis animalis,cras corporis glorioſi; & eadem anima in uno organo operationem videndi, in alio audiendi. Neque etiam *quæ definitivè in loco eſſe dicuntur, eo ipſo dici hîc eſſe & non alibi : ſicut anima,quæ definitivè in loco eſt, non ita eſt in capite , quin etiam ſit alibi , velut in pede. Ita Chriſtum reſurgentem tam ſpirituale habuiſſe corpus, ut è ſepulchro, nondum remoto lapide,egrederetur,quemadmodum cœnaculum ingreſſus ſit clauſis januis, Joh.XX.19. 26. adeóque januam ac lapidem penetraverit,etſi nec Angelus,nec Deus eſſet. Tum quidem diſcipulos naturalia adhuc ſentientes etiam putâſſe, Chriſtum ſpiritum eſſe, Luc.XXIV. 37.Sed Chriſtum manus ac pedes oſtendendo errorem eorum detexiſſe, oſtendiſſéque , etſi pro libitu qualitatem penetrationis corpori ſuo tribuere poſſit,ideóque clauſas januas per modum Spiritus penetrârit, inde non evinci, quòd non habeat verum corpus , ſed merus Spiritus ſit. Cur ergo non & alias qualitates corpori naturali indebitas,adeóque etiam exiſtentiam in Cœlo cicumſcriptivam,in aliis pluribus locis definitivam, pro libitu habere poſſit? pag.446--455.*

LVI. At verò frivola hæc & contorta profectò magis ſunt, quàm ut in re ſeria, magníque momenti ſatisfaciant. Etenim *primò* quid dicet D.Parochus de prima euchariſtia , in qua Chriſtus nondum utique habuit corpus *πνευματικὸν,ἔνδοξον.ἄφθαρτον, ſpirituale, glorioſum, incorruptibile ?* Si corpus *Spirituale* efficit,ut qualitates Spiritus,quales ſunt inviſibilitas,penetratio, indiviſibilitas,exiſtentia in loco definitiva,communicentur corpori; quomodo igitur Chriſti corpus in prima euchariſtia,

quo

quo tempore nondum fuit ſpirituale, neque adeò, ex hypotheſi Adverſarii, proprietates Spiritus communicatas habere potuit, ſimul menſæ accubuit *circumſcriptivè*, per modum veri corporis, ſimul ſub ſpecibus extitit *definitivè* & indiviſibiliter per modum Spiritus? Hoc ante omnia expediendum ipſi fuerit. *Secundò* nimio certè errore D. Parochus accidentia communia & mutabilia cum propriis & eſſentialibus confundit. Illa tolli poſſe, nemo ſanus ignorat: at hæc nonniſi cum natura ipſa tolli & perimi, omnes ſani itidem agnoſcunt. Ita corruptibilitas, ignobilitas, infirmitas, ſicut à ſubintrante peccato originem ducunt: ita ab oppoſita peccato Dei gratia glorificante, & Spiritu vivificante, ſalva corporis natura, mutantur & tolluntur. Diſpar planè ratio eſt accidentium propriorum, quale eſt extenſio corporum, quæ non eſt à cauſa adventitia, ſed à corporis eſſentia adeò reſultat & emanat, ut ſalvâ corporis eſſentiâ mutari neutiquam poſſit. Ineſt enim omni corpori, & ſoli & ſemper; neque eâ in corpore quidquam prius concipi poteſt. Competit *omni* corpori, non tantùm cœleſti, ſed etiam terreſtri, aëri, igni, aquæ, terræ. Et quamvis parvum corpuſculum, habet tamen extenſionem aliquam, quatenus ſaltem dextra & ſiniſtra in ea pars diſtingui poteſt. Competit *ſoli* corpori. Nulla enim res ſpiritualis eſt extenſa, futura alioquin diviſibilis in partes, corruptibilis & mortalis, ad modum corporis. Competit omni & ſoli corpori *ſemper*. Utcunque reliqua omnia tollantur & varientur, extenſio manet, quamdiu corpus manet. Glacies, v. g. amittit duritiem, cùm in aquam reſolvitur: aqua amittit gravitatem, cùm in vapores redigitur: vapores amittunt levitatem, cùm in aquam revertuntur. Extenſio autem nec in glacie, nec in aqua, nec in vapore abeſt. Ita corpus Chriſti corruptibilitatem, mortalitatem depoſuit. At extenſionem non depoſuit. Poſt reſurrectionem enim corpus extenſum, carnem & oſſa habuit, quæ qui finxerit non extenſa, majori jure dicet

non

non carnem, non oſſa. Denique extenſione in re corporea prius concipi poteſt nihil. Diviſibile eſt quodvis corpus, impenetrabile, circumſcriptum, quia extenſum. Neque corpus ſine extenſione vel concipi animo & cogitari poteſt. Dici denique nequit, quid extenſio corpori ſuperaddat. Quódque enim corpus per ſe ipſum extenſum eſt, non per aliud à ſe diſtinctum. Neque mihi extenſionem *entitativam*, ſeu *internam*, à *quantitativa*, ſeu *externa* diſtinctam heic fuci & fumi venditor Suarezius aliquis ingerat. Etenim extenſio entitativa & interna eſt μορμολυκεῖον, ſaltem *non extenſio*. Quippe extenſio non eſt extenſio, niſi partes ſint extra ſe invicem. Eadem ratione à perſona ſubſiſtentiam, ab anima rationalitatem, qua à corpore extenſionem ſive diſtinxeris, ſive ſeparaveris. Saltem omni corpori humano mero extenſionem ineſſe ἀχωρίστως, Adverſarii haud inficias iverint. Cùm igitur Chriſtus acceperit corpus noſtro per omnia, excepto peccato, ſimile, etiam corpus eſſentialiter extenſum, & conſequenter diviſibile, impenetrabile, circumſcriptum acceperit oportet. Dilutum verò eſt, quòd Dominus Parochus ex 1. Corinth. XV. v. 4. σῶμα πνευματικόν, *corpus Spirituale* nobis objicit. Non enim corpus glorioſum, cœleſte, *Spirituale* dicitur ob amiſſa accidentia corpori propria & eſſentialia, quale eſt extenſio; vel accepta accidentia eſſentialia Spiritus, quale eſt impenetrabilitas & indiviſibilitas. Hoc enim contradictionem ſaperet. Liquet id ex oppoſito. Corpori quippe *Spirituali* opponit Apoſtolus non ſimpliciter extenſum, diviſibile, viſibile, impenetrabile, ſed ψυχικὸν *animale*. Eſt autem corpus *animale* corpus nondum glorificatum, nondum à Spiritu Dei ad cœleſtem gloriam vivificatum. Denominatio quippe eſt à πνεύματι ζωοποιοῦντι *ſpiritu vivificante, verſ. 4. 5.* & Rom. VIII. 11. Quòd autem corpus *Spirituale*, *glorificatum*, extenſionem, aliáque ejuſmodi accidentia propria non ſit depoſiturum, nec accidentia propria Spiritus recepturum, eviden-

evidenter liquet ex v.53. 54. ubi Apoſtolus dicit: Δεῖ γὰρ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀφθαρσίαν, καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀθανασίαν &c. *Oportet enim corruptibile HOC induere incorruptibilitatem; & mortale HOC induere immortalitatem.* En, τοῦτο, HOC, idem corpus, manens quoad ſubſtantiam, deponet accidentia non propria, ſed mutabilia, qualia ſunt corruptiabilitas, mortalitas: recipiétque accidentia non propria & eſſentialia Spiritus, ſed communia, puta incorruptibilitatem, immortalitatem. Utrumque porro corpus & mortale & immortale, & corruptibile & incorruptibile, extenſum, diviſibile, circumſcriptum manet. Jobus ſibi glorificato jam, adeóque *ſpirituali* promittit בשר *carnem*, ex qua viſurus ſit Deum, Job. XIX. 26. Caro autem non eſt ſine oſſibus, neque eſt niſi extenſa. Paulo etiam hoc loco v. 39. σὰρξ, *caro* & σῶμα, *corpus* idem ſunt. *Tertiò* ſimile allatum ab anima, quæ ita *definitivè* ſit in capite, ut ſimul etiam ſit alibi, inferiùs ſolidè diſcutiemus. *Quartò* fatemur, eandem rem pro diverſitate temporis vel loci habere poſſe diverſos modos. At iterum iterúmque negamus, rem, ſeu ſubſtantiam quamcunque, proprium & eſſentialem modum amittere, oppoſitæque ſubſtantiæ modum eſſentialem & proprium recipere poſſe. Citiùs ſanè gryphes jungentur equis, & quadrata rotundis mutabuntur. *Denique* nequicquam ad omnipotentiæ Divinæ aſylum Adverſarius ſe proripit. Etſi enim DEUS omnia, quæ θεοπρεπῆ ſunt, facere poteſt: quia tamen verax eſt & ἀψευδής, iccirco non eſt כחו τὸ δυνατὸν αὐτοῦ, facere contradictoria, *corpus non corpus, corpus Spiritum.* Hoc enim foret mentiri. Deus utique cùm omnia poſſit, quædam tamen ſunt, quæ potentiæ ejus perfectionem dedecent. *Audenter loquor,* inquit S. Hieronymus Epiſt. ad Euſtach. *cùm omnia poſſit Deus, ſuſcitare virginem non poteſt poſt ruinam.* An quia Deus omnipotens eſt, efficere unquam potuit, ut tria ſint quatuor, vel centum? ut ignis ſit aqua? ut præteritum ſit futurum?

LVII.

LVII. Demonſtrationi clariſſimæ fruſtra opponitur, quòd Chriſtus non remoto lapide ſurrexerit, & per clauſas januas cœnaculum ingreſſus ſit, adeóque corpore ſuo tum lapidem, tum januam penetraverit. Neutrum enim vel ſolidè probari poteſt, vel apud ipſoſmet Adverſarios certum habetur. Ac prius quod attinet, Chriſtum ſepulchro clauſo ſurrexiſſe, adeóque ſepulchrum penetrâſſe, nuſpiam ſanè dicitur. Quin potiùs inſinuatur Matth. XXVIII. v. 2. Angelum apparitorem Chriſto lapidem removiſſe. D. Parochus quidem pag. 455. excipit, *vanum & merè confictum hoc eſſe effugium.* Eccur verò? *Quia*, inquit, *lapis remotus eſt poſt reſurrectionem Chriſti, ut mulieribus aditus in ſepulchrum reſeraretur.* Id verò planè temerè affirmatur. Sicut neuter Evangeliſta, nec Matthæus nec Marcus affirmat, Chriſtum reſurrexiſſe poſt amotum lapidem; ita nec ante. Potuit eo momento, quo lapis remotus eſt, & Chriſtus reſurgere, & pia mulierum turba monumentum viſitare. Eandem actionem utriſq; inſerviiſſe, nonnulli Patres affirmant. Hilarius *in Matth. can.* 33. ita habet: *Angelus Domini deſcendens de cœlo, & lapidem revolvens, & ſepulchro inſidens, miſericordiæ Patris inſigne eſt reſurgenti filio ab inferis, virtutum cœleſtium miniſteria mittentis.* Arnobius quoque junior in Pſal. 33. *Clamavit, & Dominus exaudivit eum, miſit Angelum ſuum in circuitu timentium corpus ejus, & revolvit lapidem à monumento, & eripuit eum.* Præterea miracula ſine neceſſitate multiplicanda non ſunt. Denique reſpondeat pro nobis Durandus, cujus *in 4. diſt. 44. q. 6.* hæc verba leguntur: *Dicendum eſt, quòd in nullo textu S. Scripturæ habetur, quòd Chriſtus reſurrexit clauſo tumulo, & ideo aſſertio contraria non præjudicat fidei, nec Scripturæ. Quòd ſi ex dictis aliquorum Sanctorum id habeatur, accipiendum eſt pro opinione.* Sed ponamus etiam, reſurrexiſſe Chriſtum ante deſcenſum Angeli. Non inde lapidis penetratio ſequetur. Potuit enim Dominus ſolo nutu lapidem hunc ſepulchralem ad momentum amo-

Digitized by Google

vere & reponere, (cùm Scriptura etiam parvæ fidei, nedum Divinæ potentiæ tranſlationem montium tribuat) aut rarefacere & ſubitò condenſare, aut annihilare ad muniendam corpori reſurgenti viam, ac mox reſtituere. Hæc & ſimilia utique fieri potuiſſe, in omnium confeſſo eſt. At penetrationem corporis Chriſti per lapidem nec Scriptura affirmat, & ratio tanquam contraditorium penitus improbat.

LVIII. Neque magis ſtringit alterum, quòd Joh. XX. 19. 26. narratur, Chriſtum θυρῶν κεκλεισμένων, *cùm januæ clauſæ eſſent*, veniſſe eò, ubi diſcipuli coacti erant ob timorem, & ſtitiſſe ſe ibi εἰς τὸ μέσον, *in medium*. Aliud enim certè eſt, venire *cùm januæ clauſæ ſint*, aliud *penetrare per januas clauſas*. Prius legimus, poſterius non item. Dicitur Jeſus disertè *veniſſe*, & ſe *ſtitiſſe in medium*. Penetraſſe nuſpiam dicitur. Circumſtantia θυρῶν κεκλεισμένων, *januarum clauſarum*, non notatur ad deſignandam rationem, ſeu modum introitus Chriſti, ſed ad exponendam Apoſtolorum formidinem, uti verba Evangeliſtæ manifeſtè præ ſe ferunt. Et qualis quæſo hæc ἀσυλλογιστία eſt: *Fores domus diligenter clauſæ & obſeratæ fuerunt à diſcipulis propter metum Judæorum, & tamen Chriſtus ad illos ingreſſus eſt: Ergo per januas intravit, illarum dimenſiones penetrando*? Plus heic concludi quàm præmitti, vel cæcus videat. Ex antecedente illo hoc tantùm ſequitur, Dominum ingreſſum eſſe ſine ope diſcipulorum januas reſerantium. Loquatur pro nobis idem, qui ſupra, Durandus, l. cit. *Cùm dicitur*, inquit, *quòd Chriſtus intravit ad diſcipulos poſt reſurrectionem januis clauſis, abſolutè dicendum eſt, hoc eſſe verum, &c. Sed non dicitur, quòd intravit per januas clauſas. Cùm enim corpus glorioſum poſſit moveri per aërem, ut per terram, & Chriſtus virtute Divina potuit corpus ſuum oſtendere, & occultare, prout voluit. Potuit intrare ad diſcipulos per feneſtram, vel quemcunque alium locum, & tunc primò ſe oſtendere, quando fuit coram diſcipulis, & ſic verè venit januis clauſis,*

ſis,ſed non per januas clauſas. Et ſi per januas intravit,potuerunt januæ perquam ſubitò aperiri & ſubitò claudi, ita vt apertio & clauſio lateret diſcipulos. Et quia res non dicitur fieri, quando innoteſcit, ideò dicuntur fuiſſe clauſa, quia apertio illarum nulli apparuit. Et hoc modo poſſet dici, ſurrexiſſe clauſo ſepulchro,ſi alicubi id legeretur. Vel poſſet dici, quòd Chriſtus ratione, qua Deus habuit in poteſtate ſua corpus & figuram corporis ſui,ita quod potuit figuram corporis mutare in anguſtam, & ſic intrare per quamcunque rimam januarum eis remanentibus clauſis: & quamvis aliqui dicant,hoc non fuiſſe conveniens,nullus tamen dicit, quin fuerit poſſibile Chriſto,in quantum Deus eſt. Convenientius autem videtur ponere modum,qui ab omnibus conceditur poſſibilis, quàm ponere illum,qui à pluribus impoſſibilis reputatur. B.etiam Auguſtinus videtur hunc modum tenere. Cùm ergo hi modi,uno fortè excepto,& plures alii poſſibiles ſint,& Scriptura nihil definiente,nihil determinari debeat,prævaricatur utiq; D.Parochus, qui fictitium illum de penetratione dimenſionum modum,ſi non abſolutè impoſſibilem,at certè omnium difficilimum ab omnibus judicatum, non nudè conjectat, ſed tanquam neceſſarium urget. Neque etiam vel Cyrillus vel Hilarius ab Adverſario laudati, cauſam ejus adjuvant. Neuter enim penetrationis modum definit. Cyrillus monet, *omnipotentia naturam fuiſſe ſuperatam* , at everſam per immutationem naturæ & proprietatum non dicit. Hilarius quoque penetrationem negat potiùs quàm ſtabilit. Ait enim: *Venit Jeſus januis clauſis, & ſtetit in medio diſcipulorum. An conſtructa parietum penetrans, & ſolidam lignorum naturam impenetrabilem tranſcurris?* Ubi affirmativa interrogatio vim habet negationis. Paulò poſt ſententiam ſuam exponit: *Unde*, inquiens, *qui aſſiſtit, in medio eſt? Cedit ad hoc & ſermo & ſenſus, & extra rationem humanam eſt veritas facti. Intelligentiam facti non apprehendimus.* Non igitur definitus ab eo penetrationis modus. Denique monent eruditi, verbis illis, θυρῶν

κεκλεισμένων, *januis clauſis*, tempus potiùs adventûs, quàm modum ingreſsûs deſignari. Id D. Parochus exſibilat tanquam *vanum & ridiculum*. At nec vanum id, nec ridiculum ipſi videbitur, ubi verba Evangeliſtæ expendere modò dignabitur. Ita enim habent: Ὀψίας γενομένης &c. καὶ θυρῶν κεκλεισμένων, *cùm veſpera eſſet, & fores eſſent clauſæ*. Prioribus verbis circumſtantiam temporis deſignari apertum eſt. Cùm igitur poſteriora cum illis per copulam connectantur, liquet iisdem tempus quoque denotari. Nocte enim appetente fores claudi, moris eſt. Confer Joſ. II. 5. Luc. XI. 7. Mos eſt ita loqui Græcis & Latinis. Ita Græci noctem vocant κλαυσίθυρον. Romani id dicebant *prima face*. Ex Anacreonte, Flacco, Juvenali, ſimilia Vir πολυμαθέστατος, Daniel Heinſius, *Exercit. ad h. l.* attulit. En igitur, D. Paroche, argumentum noſtrum firmiſſimo tibicine nixum!

LIX. Argumentum *octavum* inde petitum eſt, quòd nullum corpus eſſe poſſit πολύτοπον, pluribus in locis ſimul ſubſtantialiter præſens. Tale enim, ſi quod daretur, corpus, nec unum eſſet, quippe à ſe ipſo diviſum: & ſimul eſſet actu & poteſtate, ad ſeipſum referri poſſet relatione reali: ſimul eſſe poſſet in motu & quiete &c. Et quod corpus Chriſti concernit, par ejus hactenus, quæ omnium reliquorum corporum, ratio eſt. Ita Angelus Matth. XXVIII. 6. de corpore ejus reſuſcitato dicens: *Non eſt hîc, ſurrexit enim*; non obſcurè à poſitione unius loci, negationem alterius concludit. Et Matth. XXVI. 11. ipſemet præſagit: *Pauperes ſemper vobiscum habetis, me autem non ſemper habetis*. Denique Apoſtolus teſtatur, Act. III. 21. *Chriſtum poſt aſcenſionem Cœlo capi uſque ad tempora reſtitutionis omnium*. Materiem id præbet ſequenti ſyllogiſmo:

Quod non poteſt in pluribus locis ſimul actu & ſubſtantialiter eſſe præſens, illud non eſt ſimul in cœlo, ſimul in Euchariſtia localiter præſens.

At

At corpus Chriſti, perinde ac omnia reliqua corpora, non poteſt in pluribus locis ſimul actu & ſubſtantialiter eſſe præſens.

Ergo corpus Chriſti non eſt ſimul in Cælo, ſimul in Euchariſtia localiter præſens.

Propoſitio eſt ἀναμφισβητήτως vera. Aſſumptionem rationes allatæ confirmant.

LX. Non ſemel hactenus D. Parochus exemplum animę ingeſſerat. Nunc verò illud ex profeſſo & deditâ operâ urget, & ad illud, tanquam ſacram anchoram, confugit ad argumentum allatum non tam ſolvendum, quàm eludendum, ut ingenuè dicam. Quia enim Scholaſticis nonnullis videtur, animam in toto corpore, ſingulíſque ejus partibus totam eſſe, hinc ille corporis quoque Chriſti πολυτοπίαν, vel ſaltem ejus poſſibilitatem infert. Cæterùm frivolum & inane hoc ſophiſma eſſe, quo incertum per æquè incertum, imò falſum per æquè falſum probatur, & minimùm dubiis perſpicua tolluntur, cùm contrà perſpicuis dubia probari debeant, fidem nunc faciemus. Etenim *primò*, cùm de πολυτοπίᾳ corporis agitur, quid nobis affert locationem Spiritus? Jam olim ſcitè Fulgentius *de fid. ad Petr. cap. 3.* monuit, *non eſſe datum corporibus, ut ſint, ſicut Spiritus acceperunt.* Nemeſius quoque Ariſtotelem ſecutus *de Junct. corpor. & anim.* obſervat, *quamvis anima in corpore eſſe dicatur, non tamen in eo eſſe dici, ὡς ἐν τόπῳ, ſicut in loco*, quali videlicet ſunt corpora. Monéntque crebrò Philoſophi, animam eſſe in corpore, ut formam in materia, non propriè ut locatum in loco, vel contentum in continente. Equidem animam eſſe in corpore, novimus ex teſtimonio nobiliſſimarum in eo operationum. At quo modo ſit in corpore, id certè perceptu difficilimum eſt. Saltem id certum eſt, non eo modo eſſe in corpore, quo corpus, eſt, loco ſibi adæquato. *Secundò*, cùm agitur de πολυτοπίᾳ corporis, de eo corpore agitur, quod propriè & *poſitivè*

totum dicitur, quia partes habet. At anima, cùm partes non habeat, impropriè & *negativè* totius nomine inſignitur. Qualis igitur quæſo hæc conſecutio eſt: *Si anima in corpore pluribúſque corporis membris tota, id eſt, non per partes exiſtit: tum etiam corpus humanum ſimul in Cœlo, ſimul in terra eſſe poteſt totum, id eſt, per partes, nempe ut caput, manus, pedes & reliqua membra utrobique ſimul habeat?* Annon contrarium potiùs infertur: videlicet, corpus idem in cœlo & in terra ſimul eſſe, non per partes, hoc eſt, ſine capite, manibus & membris ſuis? Id verò perinde eſt, ac ſi dicas, idem corpus non eſſe ſimul in cœlo & in terra. Corpus enim hominis integrum nuſpiam eſt, ubi non ſunt ejuſdem caput, manus & membra. *Tertiò* quæſtio noſtra agit de locis adæquatis, ad quæ requiritur æqualitas inter ſuperficiem concavam corporis continentis, & convexam contenti. Argumentum D. Parochi loquitur de anima hominis, quæ ſicut ſuperficiem & extremitates non habet: ita neq; à corpore contineri, neq; cum eo commenſurari poteſt. *Quartò* quæſtio eſt, an corpus unum poſſit in pluribus disjunctis, & ſeparatis locis ſimul eſſe, ut eodem tempore non exiſtat in locis intermediis. At animam rationalem, qui totam in capite, totam in pedibus eſſe affirmant, eandem ſimul in omnibus membris intermediis ſeu interpoſitis exiſtere non negant. *Quintò* dubium certè eſt, & ancipiti in controverſia verſatur, ſitne anima in toto corpore, ſingulíſque partibus tota, an potiùs in corde vel cerebro ſedem ſuam habeat. Scriptura quidem totam in toto corpore eſſe, nuſpiam definit. Neque ſana ratio repugnat, quin ſtatuatur; animam ex cerebro, velut Regia ſede agere in reliquum corpus, & in eo beneficio ſpirituum animalium ſuas quodammodo operationes exercere, eadem ratione, qua Sol ex Cœlo in terram agit, vel, ut ἀκριβέστερον loquar, qua Angelus definitivè in loco exiſtens, operationis ſuæ ſphœram extra ſe ſatis amplam obtinet. Contra cùm ſana ratione vix magnus aliquis Apollo conciliaverit,

Digitized by Google

liaverit,ſi anima in toto corpore ſingulíſque partibus tota ſit,quid igitur fiat de anima in nova aliqua parte ſuccreſcente,vel in parte aliqua corporis per ſectionem,ſeu alia etiam ratione decedente. Cùm verò & Scriptura & veteres tum Philoſophi tum Theologi definire omiſerint, quòd anima in toto corpore & ſingulis ejus partibus tota ſit: & ratio ipſa mirificum hoc dogma neutiquam vel ſuadeat,vel perſuadeat; multum certè vereor,ne primi argutiores quidam Scholaſtici σεφὸν hocce φάρμακον ad errorem de multipræſentia corporis Chriſti incruſtandum finxerint.Hæc enim nativa erroris indoles eſt,ut abſurda abſurdis cumulet. *Sextò* denique ipſa illa locutio,*quòd anima in toto corpore, & ſingulis partibus tota ſit*,planè flexiloqua & ambigua eſt.Vel enim extenſam, ſeu coextenſam corpori *poſitivè* intelligunt; atque ita nihil veri loquuntur,ſed id,quod cum animæ natura pugnat,pronuntiant. Vel verba ſua *negativè* accipiunt,eo ſenſu,quòd anima ſit in corpore modo quodam indiviſibili,adeóque non per partes. Atque ita nihil equidem falſi dicunt,ſed nihil etiam explicant, & vocabulo denique *totius* abutuntur. *Totum* enim eſt, quod habet partes. Vel denique hunc ſenſum habent, quòd & totum corpus ſequi poſſit mentis nutum & imperium,& id ipſum quælibet etiam pars corporis poſſit: viciſſim quòd & totum corpus poſſit in mente perceptionem novam excitare, & id ipſum quælibet pars corporis poſſit.Quæ quidem præſentia nec phraſi illa concinnè exprimitur,& in mutuis corporis & animi actionibus & paſſionibus conſiſtens,nihil facit ad multipræſentiam unius corporis inter alia corpora,quæ demum vera eſt,de qua heic agimus,locatio,demonſtrandam. Quocunque igitur D. Parochus ſe verterit, citiùs aquam ex pumice, quàm paradoxum ſuum ex majori paradoxo extundere poterit.Ruúntque pariter omnia, quæ paradoxo illi ſuo magno conatu inædificat.

LXI. Corpus πολύτοπον unitatem non amittere,

D.Parochus inde probare ſatagit, quia *unitas rebus non detur per locum,ſed emanet ab ipſa eſſentia.* Addit, *ſicut plura,etiam diſparata accidentia caloris,humiditatis,frigoris &c.non multiplicent ſua ſubjecta,ſic nec loca,licèt diſparata ſint*,pag.489. Cœterùm objectio illa frivola eſt. Etſi enim unitas corporis non pendet à loco adæquato, tanquam à cauſa,pendet tamen ab illo,tanquam à conditione neceſſaria ſuæ exiſtentiæ, & ſigno ejus demonſtrativo.Neque etiam plura diſparata accidentia ſubjectum multiplicant, ſi videlicet ſubjecto inſint in gradu remiſſo,& compatibilia ſint. At in gradu ſummo ineſſe nequeunt.Cum ſummo enim non ſtat gradus oppoſiti, uti Logicorum filii ſciſcunt.Neque etiam ἀσύστατα ineſſe queunt.At duo loca adæquata,eidem ſubjecto,corpori videlicet,ſunt ἀσύστατα.Cùm pluribus modis corporis unitas ſolvatur, præcipuè tamen per *ſectionem* ſolvitur. Unde corpora,quæ dividi, adeóque unitatem ſuam perdere non poſſunt,ἄτομα,*inſectibilia* dicuntur.Ratio autem, ob quam ſectio corporis unitatem tollit, eſt ſecantis interpoſitio, continuitatem corporis ſecti ſolvens. Hinc Conimbricenſibus diviſibilitas phyſica eſt, *cùm per contactum phyſicum unum corpus introducitur in partes alterius corporis,eáſque ſeparat.* Corporis igitur unitas tollitur per aliquod interpoſitum,diverſum,quod ibi,ubi ponitur,non facit partem illius corporis,de cujus unitate agitur. Sufficítque ad unitatem tollendam interpoſitio corporis quamvis exigui. Cùm igitur Adverſarii ipſi agnoſcant, inter corpus Chriſti, quod in cœlis exiſtit,quódque ſimul in terra eſſe contendunt,interponi corpora,nullam corporis Chriſti partem facientia, & quæ quantitate quidem *continua* magna utique & vaſta ſunt; quantitate verò *diſcreta* immunera & varia; qua quæſo ratione affirmare audent,corporis Chriſti in cœlo ſimul & terra hoc modo exiſtentis, unitatem ſartam & tectam manere? An ita argutiis ſuis nos illuminare contendunt,ut cæci fieri neceſſum habeamus?

LXII. Chri-

LXII. Chriſtus certè claris verbis præſagivit, fore, ut non ſemper nobiſcùm ſit, neque ſemper ipſum habeamus, Matth. XXVI. 12. Et futurum, ut cœlum ipſum capiat uſque ad tempus reſtitutionis omnium, Petrus aſſerit Act. III. 21. Neque ſolida eſt ἔνστασις D. Parochi, quòd Chriſtum non ſemper habituri ſimus, præſentem videlicet in corpore viſibili ac mortali, ita ut membra ejus ex laboribus fatigata refocillari debeant, habituri tamen ſemper ſimus in corpore glorioſo & inviſibili; quódque cœlum ita ipſum ad tempus uſque reſtitutionis omnium recipere debeat, quoad præſentiam *viſibilem*, ut tamen quoad præſentiam *inviſibilem* & *ſacramentalem* quotidie in Euchariſtia locum habeat. Etenim humana ejuſmodi diſtinctionum argutarum commenta Scripturæ non tam ſatisfaciunt, quàm illudunt. Nam corpus Chriſti inviſibili modo in terra præſens eſſe, unde tandem D. Parochus fidem faciet? At Chriſtus Matth. XXIV. 24. &c. iis, qui præſentiam corporis ejus inviſibilem jactant, credere diſertè prohibuit. Utri magis fidem ſubſtringemus? Sed & in loco Matth. XXVI. 11. quamlibet præſentiam corporis localem, ſive viſibilem ſive inviſibilem, negari, liquet, tum quia Chriſtus dicit, *Me non ſemper habebitis*; non, *me non ſemper videbitis*; at Chriſtum inviſibiliter habere, certè eſt Chriſtum habere: tum quia dicit: *Semper pauperes habebitis vobiſcum*, (quolibet modo corporali) *me autem non ſemper habebitis*, eodem utique corporali modo: tum deniq; quia rationes ejus adverſus quamcunque præſentiam corporalem ἀδιάστακτον militant. Quare enim Chriſtum non ſemper nobiſcum habebimus? Ipſemet Chriſtus reſpondet his verbis: *Filioli, adhuc modicum vobiſcum ſum. Quæretis me, & ſicut dixi Judæis, quò ego vado, non poteſtis venire; & vobis dico modò*, Joh. XIII. 33. *Ego ad Patrem vado*, ib. cap. XIV. 12. *Abeo ad eum, qui miſit me, &c. Expedit vobis, ut ego abeam. Niſi enim abiero, conſolator non veniet ad vos. Sin autem profectus fuero, eum mittam ad vos*, ib. cap. XVI. 6. 7.

6.7.En,non erant habituri ſemper Chriſtum,quia diſceſſurus,& in cœlum abiturus eſſet.Diſceſſio autem corporis ex aliquo loco præſentiam ejus non viſibilem duntaxat,ſed etjam inviſibilem tollit.*Diſceſſio* enim τοπικὴν διάςασιν,*localem elongationem importat*,inquit Gregorius Nyſſenus *contra Eunom.orat.*12.Neque juvat,quòd Chriſtus dicit Luc,XXIV.44.*Hæc locutus ſum vobis, cùm eſſem vobiſcum.*Illis enim verbis Chriſtus neutiquam inſinuat, quòd aliquo ſenſu corpore ſuo ſimul præſens & abſens dici poſſit,uti Adverſarius *pag.*473.pertendit: Sed in memoriam iis revocat ſermonem , quem ad eos fecerat, cùm adhuc cum iis *eſſet*,hoc eſt, maneret; continua videlicet præſentiá, non per vices & intervalla,uti poſt reſurrectionem.Hæc ſanè optimè congruunt. At præſentia & abſentia eodem tempore tam congruere nequeunt, quàm non præſens eodem tempore abſens eſſe poteſt. Non obſtat etiam,quòd Chriſtus dicit Matth.XXVIII. 20. *Ecce,ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi.*Facilis enim & ſimplex conciliandi ratio eſt, ſi cum veteribus dixerimus, Chriſtum reliquiſſe mundum, abiiſſe ad Patrem,non eſſe nobiſcum ſecundum naturam *humanam*: at eſſe eundem nobiſcum uſque ad conſummationem ſeculi ſecundùm *Divinam.* Scitè monet S. Auguſtinus in epiſtola ad Dardanum,*videndum ſemper de Chriſto,quid,ſecundum quid dicatur.*Ex multis veteribus hac ratione conciliantes paucos videamus. S.Auguſtinus *tract.*50.*in Joh.*ita loquitur: *Secundum præſentiam Majeſtatis ſemper habemus Chriſtum : Secundum præſentiam carnis rectè dictum eſt diſcipulis;me autem non ſemper habebitis.Habuit enim illum Eccleſia ſecundum præſentiam carnis paucis diebus : modò fide tenet,oculis non videt.* Præſentiæ carnis,ſeu humanæ naturæ, opponit præſentiam Majeſtatis, ſeu Divinitatis. S.Vigilius lib.1.contra Eutychen: *Dei filius ſecundum humanitatem ſuam receſſit à nobis.Secundum Divinitatem ait nobis: Ecce,ego vobiſcum ſum omnibus diebus ad conſummationem uſque ſeculi.*

Digitized by Google

li. Fulgentius lib. 11. ad Thraſimundum: *Dominus*, inquit, *ut localem oſtenderet humanitatem ſuam, dixit diſcipulis ſuis: Aſcendo ad Patrem meum, & ad Patrem veſtrum. Immenſitatem verò ſuæ Divinitatis oſtendens, diſcipulis dicit: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.* En conſignatiſſima S. Patrum verba! Voculæ autem illæ *viſibiliter, inviſibiliter* ad conciliationem locorum ἐναντιοφανῶν prorſus ineptæ ſunt. Nam nec diverſas partes notare ipſi Adverſarii pertendunt, & diverſos modos ſeu reſpectus ejusdem partis, utpote qui demonſtrari non poſſunt, notare nequeunt. Neque etiam putandum, quoties adverbium in *ter* deſinens habemus, toties certum quendam modum denotari. Ita Auguſtinus *tract. 94. in Joh.* dicit: *Chriſto deſcendente corporaliter non ſolùm Spiritus S. ſed & Pater & Filius illi affuit ſpiritaliter.* Ubi *corporaliter* deſcendere eſt ſecundum *corpus* deſcendere: *Spiritaliter* adeſſe, ſecundum *Spiritum.* Ita cùm dicimus, Deum nobis adeſſe *inviſibiliter*, non id volumus, Deum nobis adeſſe & *viſibiliter* poſſe.

LXIII. Ad argumentum *nonum* ex antiquitate petitum pergimus. Etenim dogma tum Dei verbo, tum ſanæ rationi, tum & piæ antiquitati repugnans haud dubiè recipiendum non eſt. De Dei verbo & ſana ratione jam vidimus. Piæ Antiquitatis ſtricturam nonnullam ipſa Anatome exhibet, ac de cætero ad Herculeos & laudatiſſimos in hoc argumento labores magnorum & illuſtrium ex partibus noſtris Theologorum, Edmundi Albertini, Forbeſii, Johannis Vorſtii, quibus addendæ magni Polyhiſtoris Hoſpiniani, Mornæi & Celeb. Claudii lucubrationes, provocat.

LXIV. Heic in anteceſſum tria ex me quærit D. Parochus. 1. *Si corporalis præſentia piæ antiquitati ante Scholaſticorum ævum fuit incognita, quis Scholaſticorum præſentiæ hujus fidem primus docuerit?* Reſp. Id verò veritatis & noſtrûm perparum refert. Sufficit nobis, ex pia

anti-

antiquitate magnum veritati præſidium affulgere, & erroris nervos fortiter ſuccidi poſſe: ipſos verò Scholaſticos novitiâ doctrinâ ſuâ à ſanctis piæ Antiquitatis veſtigiis deflexiſſe. Quòd ſi tamen anguſti, quibus circumdamur in hac diſputatione, cancelli, longiorem in hiſtoriarum ſeriem excurſionem permitterent, proclive demonſtratu foret, in eccleſia quidem Occidentali (nam in Orientali paulò maturiùs error Anaſtaſium Monachum de monte Sinai, Damaſcenum, Theophylactum, transverſos avexit) Seculi noni anno decimo octavo, Paſchaſium Ratbertum, Monachum Corbejenſem, libro *de corpore & ſanguine Domini* edito, primum novitiam de corporali præſentia doctrinam in proſcenium eccleſiæ protuliſſe, aſſerere videlicet auſum, Euchariſtiam ſimul eſſe corporis Chriſti *figuram*, & ejuſdem corporis *veritatem*, ſecus quàm veteres cum Gaudentio, etiam paulò ante Nicena Synodus & Nicephorus Conſtantinopolitanus monuerunt, *figuram non eſſe veritatem, ſed imitationem veritatis:* eo non obſtante, ſaniorem veterem doctrinam retinuiſſe Rabanum, Amalarium, authorem librorum de officiis eccleſiaſticis, Valafridum Strabonem, Abbatem Augienſem, Heribaldum, Epiſcopum Altiſſiodorenſem, inprimis autem Bertramum, ſive potiùs Ratramnum Presbyterum, qui juſſu, Caroli Calvi Regis ſcripto *de corpore & ſanguine Domini* libello, à Romanis Harpejis expurgato, at nuper à Venerando Claudio Pariſienſi Theologo clariſſimo, vernaculum in idioma tralato & ſolidè vindicato, orthodoxam doctrinam clariſſimè aſſeruit: atque id ipſum poſtea etiam feciſſe Prudentium, Tricaſſinum ſive Trecenſem Epiſcopum, Drutmarum, Remigium Altiſſiodorenſem, alios, qui Paſchaſii ſibi coevi novitio errori ſubſcribere religioni duxerunt: at ſubſcripſiſſe circa eadem tempora etiam alios, inprimis autem ſequenti Seculo decimo duriſſimo & ferreo, paulatim errorem ſe hominibus oſcitantibus & indoctis inſinuâſſe: Seculo porro undecimo medio Bernonem

Au-

Digitized by Google

Augienſem, ſeu Brunonem, & Berengarium Turonenſem, tum voce, tum epiſtolis huc illuc miſſis pro veritate contra errorem recens invectum fortiter ſtetiſſe, docentes videlicet, *per conſecrationem panem & vinum non deſinere eſſe ſubſtantialiter, quod erant, nec propriè fieri Dominicum corpus & ſanguinem, ſed tantummodo Sacramentum corporis & ſanguinis ejus*; poſteriorem autem illum à Lanfranco & Guitmundo, novitio errori addicto utroque, vehementer oppugnatum, palinodiam à Nicolao & Concilio Romano præſcriptam, tam crudam, ut ejus doctiſſimos quoſque, nominatim Alexandrum, Bonaventuram, Gabr. Biel, Roffenſem, quos Vaſquez *Diſput.* 193. *n.* 21. citat, puduerit, neque etiam tam tranſſubſtantiationi quàm conſubſtantiationi patrocinantem, metu coactum ceciniſſe: ac pòſt iterum An. 1079. juſſu Gregorii VII. nova in verba adactum, mortis metu & reclamante conſcientia, veritatem abnegâſſe; at nihiloſecius etiam pòſt veritatem docuiſſe, & in ea uſque ad mortem perſtitiſſe; ac præter eum plures alios, nominatim Rupertum Abbatem Tuitienſem, Zonaram, Euthymium, Honorium Auguſtodunenſem, Petrum dè Bruis, Henricum, Petrum Valdum, Abbigenſes, alios deinceps etiam obtruſo errori reclamâſſe: demum Innocentium III. in Concilio Lateranenſi verbum *tranſſubſtantiari*, à Stephano Eduenſi excogitatum, & rem eo deſignatam ad fidem Catholicam pertinere judicâſſe, atque illa aliáque ejuſmodi in Concilio illo, abſque ulla tamen Synodica deliberatióne & deciſione recitari juſſiſſe, quæ *aliis placabilia, aliis videbantur oneroſa*, uti Matthæus Paris *in Johanne*, & Platina *in Innocentio III.* teſtantur; neque tamen verba ejus ad fidem deſitæ ſubſtantiæ cogere, ſed in ſubſtitutione ſubſtantiæ panis pro ſubſtantia corporis ſalvari: adeò quidem, ut teſte Durando *in.* 4. *ſent. diſt.* 10. *quæſt.* 1. Henricus Oſtienſis, Gaufridus, alii inter opiniones ſuâ ætate non reprobatas commemorent eam, quæ aſſerit *ſubſtantiam panis manere*

manere poſt conſecrationem ; pro qua opinione citabant confeſſionem Berengarii , per Concilium approbatam : dehinc non diſputationibus ſed perſecutionibus , non ſtilo , ſed pilo rem diu actam eſſe : in Concilio verò Florentino iterum diſputatum inter Græcos & Latinos de Divina panis tranſmutatione, ſed in literis Unionis nihil definitum : denique in Concilio demum Tridentino errorem definitum , neque ab aliis quàm Pontificię ſectæ addictis receptum, in Eccleſia verò Græca, reliquíſque Orientalibus inde ab earum initio in hodiernum uſque diem nunquam, uti Vener. Claudius in nupero ſcripto, quo Adverſarium Arnoldum Sorboniſtam Celeberrimum ad ἐχεμυθίαν redegit , probavit, publicè adoptatum eſſe. Hæc aliáque ejuſmodi indubitabilibus teſtimoniis demonſtrari poſſunt.

LXV. *Secundò* quærit D. Parochus ; *quî factum ſit, ut fides corporalis præſentiæ in univerſalem eccleſiam introduceretur, cùm non tantùm ſit difficilis captu, ſed juxta ſententiam noſtram, ne cogitari quidem poſſit, prorſúsque impoſſibilis ſit.* Reſp. Fides præſentiæ corporalis in eccleſiam univerſalem introducta nunquam eſt. Introducta eſt in factionem duntaxat Pontifici R. addictam, quæ ſe pro eccleſia univerſali nequicquam venditat. Deinde eadem ratione quæſiverit D. Parochus , quî tota gentilitas induci potuerit , ut crederet , creaturas, veluti ſolem , aſtrà, animantia, bruta eſſe Deum vivum, religiosè adorandum, quod non minùs difficile creditu eſt & naturâ impoſſibile, quàm corporalis præſentia in Euchariſtia. Quid non ἀσύνετος καρδία & inſipidiſſima fatuitas ſibi fingere poteſt? An ignorat D. Parochus, Deum juſto gravíque judicio immittere quandoque ἐνέργειαν πλάνης, *efficaciam erroris , deceptionis,* ut credant mendacio, qui Dei verbo non arctè adhærent? Denique eandem quæſtionem proponit & reſolvit etiam Subtilis Doctor Joh. Scotus 4. *diſt.* 11. *q.* 3. *n.* 15. Ibi enim ita ſcribit : *Et ſi quæras , quare eccleſia* (in Concilio videlicet

Late-

Lateranenſi, de quo loquitur) *voluit eligere iſtum intellectum ita difficilem hujus articuli , cùm verba Scripturæ poſſint ſalvari ſecundum intellectum facilem & veriorem ſecundum apparentiam de hoc articulo. Dico, quòd eo Spiritu expoſita ſunt Scripturæ, quo condita.* En, Spiritus Papæ Innocentii III. pro lubitu ita exponentis, & fidei oculos præſtringentis, nullo negotio apud eos, qui in verba ejus jurârunt, effecit, ut rei adeò difficili, imò abſurdæ, pronam fidem ſubſtringerent, inprimis cùm ea jam poteſtate Pontifices pollerent, ut immorigeris noviſſima quæque ſupplicia repræſentare in proclivi eſſet.

LXVI. *Tertiò* quærit: *Cùm Scholaſtici, jam primo ſuo ævo, in quæſtionibus, quæ ab ipſis primùm excitabantur, nec jam deciſæ, velut articuli fidei, ab univerſali Eccleſia credebantur, plurimùm diſſenſerint, quomodo factum ſit, ut ipſi Scholaſtici omnes in hac ardua quæſtione convenerint?* Reſp. Poſt Paſchaſium ilico inter omnes conveniſſe de errore, nulli dicimus. Imò ei & obrepenti & graſſanti jam Viri pii, cordati & ſapientes ſe oppoſuerunt, uti ſupra indigetavimus. Succeſſu temporis Spiritus Papæ ſive Nicolai II. ſive Gregorii VII. qui Berengario verba dura pariter atque dira præiverunt , ſive Innocentii III. in Lateranenſi Concilio, uti Scotus quidem exiſtimavit, ſententiam decretoriam, ambiguam licet, ferentis, Scholaſticos à Pontificum Romanorum nutu & determinationibus ſuſpenſos, in concordiam qualemcunque redegit: nam nec poſt ea tempora defuerunt, qui ſaniorem ſententiam traderent. Quàm facilis cœteroquin ſit , humani ingenii ad figmenta propenſiſſimi vitio, magnorúmque exemplorum illecebrâ, in errores conſenſio, experientia, veterúmque hæreſium, Arianæ inprimis, quæ brevi tempore univerſum orbem, cataclyſmi inſtar, inundavit, memoria abundè teſtatur.

LXVII. Paucis nunc veterum teſtimonia nonnulla expendamus. Ex S. Cypriano Gratianus *Diſt. 1. de Conſecrat. can. quando autem*, laudat & allegat formulam

veterum in Euchariſtiæ uſu tritam, *Surſum corda.* Ita enim S. myſteriorum præco alta voce hortabatur: populo reſpondente; *Habemus ad Dominum.* Mentio ejusdem formulæ eſt paſſim in liturgiis, nec non apud Arnobium, Cyrillum, Chryſoſtomum, Auguſtinum, alios. Si fides veteris eccleſiæ fuiſſet, Dominum in Euchariſtia corporis ſubſtantia ἀδιαστάτως præſentem eſſe, dicendum fuerat potiùs: *Ne corda ſurſum elevate, ſed deorſum flectite ad hoſtiam, in qua Chriſtus gratiâ, imò & gloriâ ſuâ localiter præſens, ac propterea adorandus etiam eſt. Fruſtra eum tam longè diſſitum in cœlo quæratis, cùm præſtò ſit, & penes vos ſit, eum manu prehendere, ac ore deglutire.* Frivolæ heic ſunt D. Parochi exceptiunculæ, *quòd ipſi quoque Pontificii eadem formula utantur, ante conſecrationem videlicet, & ſimul corporalem præſentiam credant: quòd eadem ratione S. Prophetæ corda ſurſum habuerint, deſiderantes adventum Meſſiæ, & tamen ejus adventum in vera & ſubſtantiali præſentia crediderint: quòd in oratione Dominica dicentes,* Pater noſter, qui es in cœlo, *non iccirco negemus eundem eſſe in terra & ubique: quòd eâ formulâ jubeamur corda noſtra præparare ad Deum Patrem, qui à Chriſto eſſe dicitur in cœlis, orandum, obſecrandum, ipſique gratias agendum: quòd denique S. Cyprianus ſermone de oratione Dominica à Gratiano citato præſentiam corporalem diſertè ſtabiliat.* Hæc, inquam, frivola prorſus ſunt. Etenim vetus eccleſia ſecus, quàm hodierna Romana, credidit, ſpiritualem omnino eſſe totam Cœnæ Dominicæ actionem. Ideóque ne animi communicantium plus, quàm par eſſet, in ſymbolis hærerent, eos *ſurſum* avocabat, ut vero Chriſti corpore, non in placentula recondito, ſed dato in crucem, & jam ad dexteram Dei Patris ſedente pii fruerentur. Proin eccleſia reſpondens, *Habemus ad Dominum,* profitebatur quodammodo, omnes Chriſtianos ita credere, univerſum illud myſterium ad cor, animum, fidem pertinere. Formulam hanc in ipſa quoque diſtributione uſitatam eſſe, *ut quæ ſurſum*

ſunt,

Digitized by Google

ſunt, tunc maximè ſapiant fideles, ubi eſt Chriſtus in dextera Dei ſedens, non quæ ſuper terram, S. Auguſtinus *lib. 2. de Bono Perſev. cap.* 13. teſtatur. Et S. Chryſoſtomus *homil. 24. in 1. Cor.* fideles ſurſum vocatos cum aquilis comparat. *Ad hoc,* inquit, *nos inducit ſacrificium illud formidandum & admirabile, ut cum concordia & charitate maxima ad ſe accedamus: & aquilæ in hac vita facti, ad ipſum in cælum evolemus, vel potiùs ſupra cælum. Ubi enim cadaver, ibi aquilæ. Cadaver Domini corpus propter mortem: niſi enim ille cecidiſſet, nos non reſurrexiſſemus.* Quid neceſſum foret in euchariſtiæ ipſius communione (non ante conſecrationem duntaxat) Aquilarum alas mutuari & aſſumere, ac cum illis in cœlum evolare, ut ibi ſolem juſtitiæ ad dexteram Dei ſedentem contueamur, ſi in panis phantaſmate Chriſtus corpore ſuo præſens, nec nudè præſens, ſed etiam tanquam præſens adorandus eſſet? Ad id graculorum pedes pluſquam ſuffecerint. Neque tantùm ad Deum Patrem, ſed ad ipſum Chriſtum ad dexteram Dei ſedentem formulam illam fidelium corda erexiſſe, illud quoque argumento eſt, quòd veteres obſervent, admonitionem hanc, *ſurſum corda,* ex verbis Apoſtoli Coloſſ. III. 1. 2. *Quæ ſurſum ſunt, quærite, ubi Chriſtus eſt ad dexteram Dei ſedens,* deductam eſſe. Arnobius in Pſal. 120. *Nobis clamat Apoſtolus: quæ ſurſum ſunt, quærite, quæ ſurſum ſunt, ſapite. Et Sacerdotalis vox ad percipienda myſteria nobis omnibus clamat: Surſum cor.* Eodem modo Auguſtinus paſſim, nominatim verò *lib. de Bono Perſever. cap.* 13. *in Pſal.* 39. & 148. &c. loquitur. Diſertè autem *de diverſ. Serm.* 83. ita ſcribit: *Tenetis ſacramentum ordine ſuo. Primò poſt orationem admonemini ſurſum habere cor. Hoc docentur membra Chriſti. Si enim membra Chriſti facti eſtis, caput veſtrum ubi eſt? Membra habent caput. Si caput non præceſſiſſet, membra non ſequerentur. Quò ivit caput veſtrum? Quid reddidiſtis in ſymbolo? Tertia die reſurrexit à mortuis, aſcendit ad cælum, ſedit ad dexteram Patris. Ergo in cælo eſt*

caput noſtrum. Ideò cùm dicitur, Surſum corda, reſpondetis, Habemus ad Dominum, nempe caput noſtrum, qui aſcendit, & ad dexteram Patris ſedet. Quid quæſo dici diſertiùs poterat? Liquet etiam hinc clariſſimè, veteres *cor ſurſum* habere monentes eos, qui ad Euchariſtiam acceſſuri erant, ſurſum *loci* intellexiſſe, non *dignitatis* tantùm, uti Bellarminus *de Euchariſt. lib.* 1. *cap.* 14. aliique nugantur. Neq; ſimilia ſunt, quę D. Parochus urget, exempla. Nam S. Prophetæ corda ſurſum levantes, & futurum Meſſiam enixè deſiderantes, Meſſiam certè eundem in terra eodem tempore non habuerunt. Precantes quoque, *Pater noſter, qui es in cœlis*, credimus equidem, Deum qui immenſus eſt, ſimul eſſe in terra, & ubique, at non eodem modo præſentiæ, quo in cœlo ſe manifeſtat. At corpus Chriſti cùm immenſum non ſit, nullo localis præſentiæ modo ſimul in cœlo & in terra, ſurſum & deorſum exiſtere poteſt. Hæc igitur διὰ πασῶν differunt. Denique nec S. Cyprianus l. c. ſubſtantiali præſentiæ favet. In Oratione Dominica per *panem noſtrum* cœleſtem vitæ panem Chriſtum intelligit. Rationem addit, *quia Chriſtus noſter, qui corpus ejus contingimus, panis eſt*. De contactu certè manuali proprii corporis Chriſti in Euchariſtia conſtituti S. Pater neutiquam loquitur. Corpus enim Chriſti *contingere* aut *attingere* ipſi eſt, ad corpus Chriſti *pertinere, in ipſo eſſe*, uti paulò poſt loquitur. Ita Latini loquuntur. Suetonius de Galba: *Neroni ſucceſſit, nullo gradu contingens Cæſaris domum*. Neque etiam Joh. cap. VI. de Euchariſtia agi aſſerit. Nam etſi in Euchariſtia etiam *panis vita* deſignatur & manducatur, non tamen inde ſequitur, nonniſi in Euchariſtia deſignari & manducari. Mens ejus duntaxat eſt, eos, qui per grave aliquod facinus ab Euchariſtiæ communione arcentur, nec curant per pœnitentiam in jus & gratiam communionis reſtitui, eo ipſo pane cœleſti per Euchariſtiam directè deſignato, hoc eſt, Chriſto vero pane vitæ, & ſimul corporis ipſius myſtici, eccleſiæ videlicet, communione privari.

LXVIII. S.Baſilius (ſeu alius,uti nonnulli cenſent,author eſt, Chryſoſtomi & Theodoreti conſarcinator) *in Pſal.33.* ſcitè monet, Dominum ſe *panem* vocare, ὡς οἰκειοτάτην τροφὴν λογικῆ τυγχάνοντα, *quia cibus ſit valde proprius rationalis* (facultatis, animæ) *ad confirmandam animæ ſubſtantiam.* Addit, eſſe quoddam νοητὸν ςόμα τοῦ ἔνδον ἀνθρώπου *rationale os interioris hominis, quo nutritur ſuſcipiens verbum vitæ, quod eſt panis, qui de Cœlo deſcendit.* Paulò poſt: *quoniam*, inquit, *Dominus noſter verus panis eſt, & caro ejus verus cibus, neceſſum eſt voluptatem lætitiæ panis hujus* διὰ γεύσεως νοητῆς, *per ſpiritualem guſtum in nobis gigni.* Si igitur juxta S.Baſilium Chriſtus, ſeu caro Chriſti proprius & conſentaneus eſt animæ, tanquam *oris intellectualis, ſpiritualis*, cibus, utique per os corporis ſumi non debet. Sicut corporis cibus animâ non ſumitur: ita nec animæ cibus corpore. Fruſtra verò D. Præpoſitus id explicat de manducatione ſpirituali extra Sacramentum. Non tantùm enim vel S. Baſilius,vel alii etiam vetuſti Patres Chriſtum in Sacramento propriè ore corporis manducari uſpiam declarant: ſed etiam diſertè aſſerit, Chriſtum tanquam panem vitæ, qualis utique etiam in Sacramento proponitur,eſſe οἰκειοτάτην τροφὴν,*maximè proprium cibum animæ:* non igitur corporis. Proprius cibus animæ corporis toto genere diſtincti cibus eſſe nequit.

LXIX. Ex S. Chryſoſtomi *homil. 24. in 1. Cor.* ſupra laudavimus locum, quo illos, qui ad tremendum ſacrificium accedunt, aquilas eſſe, & ad illud in Cœlum evolare debere, ſciſcit. Mirè hic ſe Adverſarii torquent,parum ſibi conſtantes. Alii enim eum loqui de finali poſt reſurrectionem volatu in Cœlos pertendunt. Ita Perronius. At D.Parochus, Bellarmini aſſerentis, *Chryſoſtomum loqui de aſcenſione non in Cœlum corporale, ſed in Deum ac res æternas, neglectis terrenis curis*, veſtigia legens,pag.503. pertendit, aquilis eos, qui ad menſam Domini accedunt, & ab eadem recedunt, à Chry-

Digitized by Google

ſoſtomo aſſimilari *intuitu tam præſtantis cibi, quo per Eucharistiam paſcuntur, nempe ipſo vero corpore & ſanguine Chriſti in Euchariſtia realiter ac ſubſtantialiter præſentibus, adeóque convenire, ut contemptis rebus terrenis ac carnalibus, velut aquilæ, nonniſi cœleſtia appetant.* At primò imponit is apertè Chryſoſtomo, qui nuſpiam dicit, corpus & ſanguinem Chriſti in Euchariſtia realiter ac ſubſtantialiter præſtò eſſe. *Secundò* S. Pater dicit, ad Sacrificium illud in Cœlum evolare nos debere, aquilarum adinſtar, ut ibi Solem juſtitiæ intueamur; & quidem ad illud ipſum Cœlum, juſtitiæ Solis, Chriſti domicilium, ad quod actu & reapſe elevabimur, quando ipſe inde deſcendet, nos ad ſe ſuſcepturus. In Cœlo igitur corporali collocat ſacrificium illud, Solem juſtitiæ, Chriſtum. Eò nobis evolandum aquilarum adinſtar, ut ibi Solem juſtitiæ, Chriſtum intueamur. At D. Parochus cum graculis in terra rependum, & in euchariſtia, in terra, Chriſtum ſubſtantialiter præſentem, etſi altioribus & ſpiritualibus curis, quæſitandum docet, atque ſic Chryſoſtomo diſertè contradicit. Spiritualem certè, cœleſtem, ſublimem curam S. Pater requirit: at illam ita à terra avocat, ut figendam eſſe in ſpirituali cibo, non in terra ſed in Cœlo præſente, in Sole juſtitiæ in Cœlo inconnivis oculis contuendo, moneat. Quis, obſecro, movetur ad id, quod habet præſens? Inanis foret tota exhortatio S. Patris, ſi credere oporteret, Chriſtum verè in altari adeſſe. Neque cujusquam mens ſimul & eodem tempore in Cœlo & in terra verſari poteſt. Corpore quidem in terris eſſe, & mente ſimul in Cœlo agere licet. At mente ſimul in Cœlo & terra verſari non licet. Chriſtus, cùm in terris adhuc eſſet, nuſpiam Apoſtolos horatus eſt, ut ſe alibi quærerent, quàm ubi cum illis præſens eſſet. *Tertiò* D. Parochus nimis certè verbis Chryſoſtomi, quæ ad corporalem præſentiam detorquet, abutitur. Dicit eâdem homiliâ S. ille Pater, fideles *dignè* Euchariſtia *utentes Chriſto ἐκ τῶν οὐρανῶν καταβαίνοντι, ex Cœlo deſcendenti occurſuros*

curſuros: eoſdem in Euchariſtia *corpus* Chriſti *προκείμενον, propoſitum videre: ſicut veſtem Regis nemo impuris manibus contrectare audet; ita multò minùs corpus Dei cum contumelia accipiendum eſſe; unde nec mulier profluvio ſanguinis laborans ne quidem veſtem totam, ſed ſolam ejus fimbriam attingere auſa ſit.* Ibidem ait: τῦτο ἐκεῖνο τὸ σῶμα, *Hoc eſt illud corpus &c.* Hinc Adverſarius magnâ fiduciâ, S. Chryſoſtomum ſubſtantialem præſentiam corporis Chriſti his verbis inculcare, proclamat, aliáque ſat procaciter objectat. Equidem miretur alius maximè, ficulneis ejuſmodi foliis virum ingenioſum & prudentem acquieſcere potuiſſe. Priorem ſanè loci hujus partem apertè nobis favere, jam oſtendimus. Neque poſterior magis ipſum juvat. Nam Chriſtum in Euchariſtiam corpore ſuo deſcendere, non dixit Chryſoſtomus, ſed Adverſarius finxit. Fideles Chriſto è Cœlo deſcendenti occurſuros, in die videlicet judicii, ille dixit. In Euchariſtia eos deſcendenti occurrere, ne quidem ſomniavit unquam. Deinde corpus Chriſti in Euchariſtia propoſitum *videri* & *accipi* dicitur vel *in rei veritate*, & eo quidem modo *ſpiritualiter*, vel *in viſibili ſigno & Sacramento*, ac eo modo *viſibiliter*. De poſteriori modo loquitur S. Pater. Inſpiciat ipſe Adverſarius, & ſano judicio penſitet. Ait enim: Ὅταν αὐτὸ προκείμενον ἴδῃς, *quando ipſum propoſitum videris.* Agit igitur de corpore viſibiliter ſumendo, adeóque in Sacramento, non rei veritate. Neque enim dixerit Adverſarius, ſe corpus Chriſti in rei veritate in Euchariſtia propoſitum videre, qui *inviſibilem* præſentiam ad nauſeam uſque ingerit. Neque etiam corpus illud aliter proponi in Euchariſtia, quàm *clavis confixum & flagris cæſum, crucifixum*, paſſim monet. Quo modo repræſentativè tantùm in Euchariſtia proponi, ipſi Adverſarii ſtatuunt. Neque ad rem facit comparatio cum Regia veſte minùs caſtè attrectata. Quivis enim videre poteſt, hanc eſſe Chryſoſtomi collationem: Si veſtis hominis temerè non eſt attingenda,

quantò minùs corpus Domini, hoc eſt, Sacramentum Chriſti, qui omnium dominus eſt. Argumentatur à minori ad majus, negando, temeritatem eſſe adhibendam. Sicut enim homo purus longè minor eſt quàm Chriſtus: ita veſtis multò minùs ad hominem pertinet, quàm Sacramentum ad corpus Chriſti. Quòd autem Sacramentis rerum ipſarum nomina imponat, id verò inſolens videri non debet illis, qui in Sacris literis aut Patribus mediocriter verſati ſunt.

LXX. Ex S. Auguſtino plurima veritatis teſtimonia citari poterant. Citavi unicum ex *tract. 50. in Joh.* ubi ſic ille: *Quomodo in Cælum manum mittam, ut ibi ſedentem teneam? Fidem mitte & tenuiſti. Parentes tui* (cum Judæis agit) *tenuerunt carne, tu tene corde; quoniam Chriſtus abſens etiam præſens eſt: niſi præſens eſſet, à nobis ipſis teneri non poſſet. Sed quoniam verum eſt, quod ait, Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem Seculi, & abiit, & hic eſt, & rediit, & nos non deſeruit. Corpus enim ſuum intulit Cœlo, Majeſtatem non abſtulit mundo.* Clara ſunt verba, neque interpretem magis, quàm lectorem deſiderant. Corpus Chriſti in Cœlo collocat: fide & corde, ibi videlicet exiſtens, teneri aſſerit, manu teneri poſſe negat. Reſpondet D. Parochus *pag.* 508. 509. Auguſtinum loqui ad Judæos, non de præſentia Chriſti in Euchariſtia, ſed de communione ejus per fidem extra Sacramentum. Atqui S. ille Pater non diſtinguit: Chriſtum manu teneri poſſe abſolutè negat, ſoláque fide, ſolo corde teneri poſſe rotundè affirmat. Neque ullam carnis, ſed ſolius Majeſtatis, hoc eſt, Divinitatis in terra præſentiam agnoſcit. Paulò inferiùs ita loquitur: *Secundum præſentiam Majeſtatis ſemper habemus Chriſtum. Secundum præſentiam carnis rectè dictum eſt diſcipulis: Me autem non ſemper habebitis. Habuit enim illum eccleſia ſecundum præſentiam carnis paucis diebus: modò* (ſine ullo diſcrimine) *fide tenet, oculis non videt.*

LXXI. S. Ambroſium nunc audiamus. Is verò in Luc.

Luc. XXIV. ita mentem ſuam declarat: *Non corporali tactu Chriſtum, ſed fide tangimus.* Et paulò poſt: *Non ſupra terram, nec in terra, nec ſecundum carnem te quærere debemus, ſi volumus invenire. Nunc enim ſecundum carnem jam non novimus Chriſtum.* Idem *Serm. 56. de tempore* plura in eam rem diſſerit. Inter alia: *B. Paulus nos docuit, quemadmodum Salvatorem in cœleſtibus quæreremus, dicens: Quæ ſurſum ſunt, quærite, ubi Chriſtus in dextera Dei ſedens, &c. Ergo jam non ſuper terram, nec in terra, nec ſecundum carnem, debemus quærere Salvatorem, ſi volumus eum invenire atque contingere.* Univerſaliter loquitur S. Pater, rotundè negans, ſupra terram, vel in terra, vel ſecundum carnem Chriſtum quærendum: & aſſerens, *non corporali tactu, ſed fide Chriſtum tangi.* Sermonem indefinitum non debuit infringere D. Parochus, ſtatuens, *in Sacramento corpus ejus tangi, Chriſtum ſecundum carnem in terra inveniri.* Id ſi verum eſt, ſententia Divi Ambroſii mirè labaſcet. Sed unde nobis exceptionem demonſtrabit ille? Provocat ad tractatum ejusdem *de his, qui initiantur myſteriis.* Quàm verò parùm ad rem faciat, infra manifeſtum faciemus. Suffecerit nunc audire Bertramum *de corpore & ſanguine Domini,* ſic exponentem verborum Ambroſii mentem: *Subjungit idem Author,* inquit, *vera utique caro Chriſti, quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta eſt; verè ergò carnis illius Sacramentum eſt. Ipſe clamat Dominus Jeſus: Hoc eſt corpus meum. Quàm diligenter, quàm prudenter facta diſtinctio. De carne Chriſti, quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta eſt, ait: Verè itaque caro Chriſti. At de illa, quæ ſumitur in Sacramento, dicit, verè ergo carnis illius Sacramentum eſt, diſtinguens Sacramentum carnis, à carnis veritate.*

LXXII. En igitur, D. Paroche, allegatorum à me Patrum teſtimonia immoto talo conſiſtentia, & tuum, quem *pag.* 512. adornâſti, triumphum mirè confundentia! Promptum certè foret, plurima admetiri non minùs ſtringentia. Pauca duntaxat afferam, ex quibus planum erit, S. Patribus omnino eandem, quæ nobis, ſen-

Digitized by Google

tentiam ſtetiſſe, Chriſtum videlicet, manente panis ſubſtantia, in Euchariſtia eſſe, ut in figura, ſigno, Sacramento. quod D. Parochus pag. 512. fortiter inficiatur. Clariſſimè ita S. Theodoretus in Dialogo 2. Ἑάλως αἷς ὕφηνας ἄρκυσι. οὐδὲ γὰρ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τὰ μυστικὰ σύμβολα τῆς οἰκείας ἐξίσταται φύσεως. Μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους, καὶ ὁρατά ἐστι, καὶ ἁπτὰ, οἷα καὶ πρότερον ἦν. *Captus es iis, quas texueras, caſſibus. Neque enim poſt ſanctificationem myſtica ſymbola à propria natura excidunt, ſed manent in priori ſubſtantia, figura et ſpecie, & viſibilia ſunt, & tangibilia, ſicut priùs.* En, ſymbola *à propria natura non excidunt, manent in priori ſubſtantia.* Idem Dialogo 1. *Viſibilia ſymbola corporis & ſanguinis appellatione honoravit,* οὐ τὴν φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προστεθεικὼς, *non naturam mutando, ſed gratiam naturæ adjiciendo.* Dic mihi D. Paroche, S. Theodoretus Pontificiúſne an Reformatus fuerit? Auguſtinus contra Adimantum lib. 1. cap. 12. *Non enim Dominus,* inquit, *dubitavit dicere: Hoc eſt corpus meum, cùm daret ſignum corporis ſui.* Idem lib. 3. de doctr. Chriſt. cap. 16. *Figura eſt ergo, præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuaviter atque utiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata ſit.* Idem Expoſit. Pſal. 3. *Judam adhibuit ad convivium, in quo corporis & ſanguinis ſui figuram diſcipulis ſuis commendavit.* Idem contra Maximinum lib. 3. cap. 22. *In Sacramentis non quid ſint, ſed quid oſtendant, attenditur: quoniam ſigna ſunt rerum aliud exiſtentia, & aliud ſignificantia.* Epiſtola 23. ad Bonifacium: *Ex ſimilitudine plerumque Sacramenta ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut enim ſecundum quendam loquendi modum, Sacramentum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt, & Sacramentum ſanguinis Chriſti, ſanguis Chriſti eſt: ita Sacramentum fidei, fides eſt.* In libro Sententiarum Proſperi: *Cæleſtis panis, qui Chriſti caro eſt, ſuo modo nominatur corpus Chriſti, cùm revera ſit Sacramentum corporis Chriſti,*

vo-

vocaturq; ipſa immolatio carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Chriſti paſſio, mors, crucifixio, non rei veritate, ſed ſignificante myſterio. Citatur hæc ſententia obſervatu digniſſima etiam in Decretis, *de conſecrat. diſt. 2. cap. Hoc eſt.* Tertullianus lib. 4. adverſus Marcionem: *Acceptum panem & diſtributum diſcipulis corpus ſuum illud fecit: hoc eſt corpus meum dicendo, hoc eſt, figura corporis mei.* Ambroſius de iis, qui initiantur Myſteriis cap. 9. *Ipſe clamat D. Jeſus, Hoc eſt corpus meum. Ante benedictionem verborum cœleſtium alia ſpecies nominatur: poſt conſecrationem corpus Chriſti SIGNIFICATUR.* Idem lib. 4. de Sacram. cap. 8. *Fac nobis*, inquit, *hanc oblationem aſcriptam, rationalem, acceptabilem, quod eſt figura corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti.* In Epiſtolam 1. ad Corinth. cap. XI. *Teſtamentum ergo ſanguine conſtitutum eſt: quia beneficii Divini ſanguis teſtis eſt: & in cujus typum nos calicem myſticum ſanguinis ad tuitionem corporis & animæ noſtræ percipimus.* Calicem ſanguinis aut teſtamenti *typum* nominat. Chryſoſtomus *homil. 83. in Matthæum*: Euchariſtiam vocat σημεῖον καὶ σύμβολον, *ſignum & ſymbolum*; homil. 17. in Epiſt. ad Hebr. ὑπόδειγμα *exemplum*; in Pſal. 22. ὁμοίωσιν *ſimilitudinem* eſſe corporis & ſanguinis Chriſti panem ait. Idem (ſive is eſt Johannes Conſtantinopolitanus, qui ſub Juſtiniano vixit) in Epiſtola ad Cæſarium: *Divina illius ſanctificante gratia mediante Sacerdote, liberatus quidem eſt ab appellatione panis, dignus autem habitus Dominici corporis appellatione, etſi natura panis in ipſo permanſit, et non duo corpora, ſed unum Filii corpus prædicatur.* Origenes in Levit. cap. 2. homil. 7. tractans verba illa: *Niſi manducaveritis carnem meam*; ita loquitur: *Agnoſcite, quia figuræ ſunt, quæ in Divinis voluminibus ſcriptæ ſunt, & ideo tanquam ſpirituales, & non tanquam carnales, examinate & intelligite, quæ dicuntur.*

LXXIII. Sed nunc ad *decimi* ejusdemque poſtremi argumenti vindicias procedamus. Suppeditatum illud nobis eſt ex notorio diſſenſu Scholæ circa ſive poſſi-

bilitatem

bilitatem præſentiæ corporis Chriſti circumſcriptivæ, ſive actualem præſentiæ talis modum. Etenim illa Scholæ ſecta, cui à tenebris nomen, Scotiſtarum videlicet, pertendit, corpus Chriſti ſive actu præſens eſſe circumſcriptivè, ſive poſſe præſens eſſe circumſcriptivè. Nullum in eo momentum. Potentiâ negatâ ſimul actus negatur. Intercedit altera Thomiſtarum, quæ quodvis, adeóque etiam Chriſti corpus præſens eſſe poſſe, & præſens eſſe, nonniſi penetrativè & indiviſibiliter: non per modum quantitatis dimenſivæ, ſed ſubſtantiæ, aſſerit. Ex diſſenſu porro illo ſyllogiſmum ejusmodi exſtruimus:

In quibuscunque locis ſimul poteſt corpus Chriſti per miraculum eſſe corporaliter, ſubſtantialiter, ſeu penetrativè & indiviſibiliter, in iiſdem locis ſimul poteſt eſſe per miraculum circumſcriptivè.

At corpus Chriſti non poteſt per miraculum ſimul eſſe in pluribus locis circumſcriptivè.

Ergo corpus Chriſti non poteſt per miraculum ſimul eſſe in pluribus locis corporaliter, ſubſtantialiter, penetrativè & indiviſibiliter.

Propoſitionem *majorem* Scotus, ejúſque aſſeclæ inde probant, quia ubi Deus facere poteſt ſubſtantiam naturalem ſub modo ſuo non naturali, ſed oppoſito, ibi eandem facere poteſt ſub modo naturali, ſeu naturæ ſuæ congruente, cùm hoc æquè facile, imò faciliùs ſit, quàm illud, & ad illud concurrere debeant duo miracula, unum in cauſando præſentiam unius corporis, ſimul in pluribus locis, alterum in ſeparando ipſum à modo ſuo naturali; ad hoc verò nonniſi unum miraculum, in cauſando videlicet unius corporis præſentiam ſimul in pluribus locis. *Minorem* propoſitionem Thomas, ejúſque ſequaces, invictis argumentis demonſtrant, quæ inferiùs attingemus.

LXXIV. Senſit haud dubiè vim argumenti ex domeſtica pharetra petiti haud exiguam D. Parochus. Nam ante omnia indignationem prodit, impingens mihi ſive *ignorantiam*, ſive *malitiam*, eò quòd falſam doctrinam

Scho-

Scholaſticis nonnullis Doctoribus *adeò audacter* adſcribam. A *malitia* me conſcientia abundè liberat. Si quid Scholaſticarum argutiarum & tenebrarum ignoret aliquis, eum pia & docta potiùs, quàm indocta *ignorantia* laborare, nemo non bonus interpretabitur. Neque ſi quis in citandis Scholaſticis per ὑποτρβλεψίαν error irrepſit, tam atrocem id notam meretur, inprimis cùm vis argumenti non in eo vertatur. Interim Scoti ſententiam etiamnum aliter intelligere nequeo. Etenim is *Diſt.* 10. *quaeſt.* aſſerit, per Divinam potentiam idem corpus, adeóque etiam Chriſti, circumſcriptivè eſſe poſſe in diverſis locis. Mox *quaeſt.* 3. determinat, concluſionem, *quòd corpus Chriſti ſimul in cœlo & in Euchariſtia eſſe poſſit*, certam eſſe cuilibet fideli; ſed unum modum ponendum eſſe talem, ſecundum quem per converſionem alterius in ipſum poſſit corpus illud eſſe alibi, quàm in loco naturali. Sacramentaliter igitur, non localiter eſſe poſſe in pluribus locis, *quia localiter eſſe includeret contradictionem.* Sacramentali modo circumſcriptivum an excludat, neſcio. Eum enim excludit, qui contradictionem implicat. At judicio ejus circumſcriptivus πολυτοπίας modus contradictionem non implicat.

LXXV. Sed de eo quicquid fiat, noverit certè D. Parochus, argumenti noſtri robur haud quaquam in authoritate aſſerentium, ſed in rationibus utramque ſyllogiſmi præmiſſam probantibus, & tum à Scotiſtis, tum à Thomiſtis productis, conſiſtere; quin & non minùs rectè ſic inſtrui argumentum: Nullum corpus vel per miraculum eſſe poteſt in duobus locis, ſive in altero ponatur penetrativè, ſive circumſcriptivè; ſive in utroque circumſcriptivè. Ergo nec Chriſti corpus per miraculum ſimul in cœlo & in Euchariſtia exiſtere poteſt; ſive in altero ponatur eſſe penetrativè, ſive circumſcriptivè, ſive in utroque circumſcriptivè. Huc enim argumentum tendit. Hic Rhodus, hic ſaltus! Poſito igitur, non à Scholaſticis, ſed à nobis ſyllogiſmum illum emanare, quæ vis, quod pondus ejus ſit, videndum fuerit. Cauſa cum cauſa, ratio

cum

Digitized by Google

cum ratione confligat. Sic igitur propoſitio habet: *In quibuscunque locis ſimul poteſt corpus Chriſti per miraculum eſſe corporaliter vel ſubſtantialiter,* ſeu, *penetrativè & indiviſibiliter, in iisdem locis ſimul poteſt eſſe per miraculum circumſcriptivè.* Rationem conſecutionis ex Scoto protuli. Inſpiciat Adverſarius, ſi lubet, Scotum 4. *Sentent. diſt.* 10. *quæſt.* 2. *num.* 9. & *quæſt.* 3. *num.* 3. & 4. & *conficta* à me eſſe argumenta, calumniari, ſimúlque imperitis fumum venditare deſinat. Imò ne me ſive à ratione, ſive ab authoritate deſertum putet, aliam non minùs evidentem & invictam conſequentiæ rationem edam verbis Philippi Fabri Faventini, *in* 4. *Sentent. Diſt.* 10. *diſput.* 37. *cap.* 2. *num.* 18. Ita autem illa: *Quia præſentia Sacramentalis corporis Chriſti in Sacramento eſt æquè præſentia realis, ac vera, ſicut præſentia naturalis ejuſdem Chriſti in cœlo, & ut erat ea, qua viſibiliter in mundo conſervatus eſt: ergo æquè eſt fundamentum propinquitatis & diſtantiæ localis, ſicut naturalis. Unde corpus Chriſti exiſtens in hoc Sacramento, eſt æquè diſtans à loco, in quo non eſt ſacramentaliter, ſicut corpus exiſtens in loco, naturaliter diſtat à loco, in quo non eſt naturaliter; & ita definitur ſive concluditur, in illo loco, ſicut corpus, quod ibi eſſet naturaliter, concluderetur eodem, ſi ibi adeſſet. Ergo ſi ad multiplicationem præſentiarum localium naturalium ſequitur neceſſariò diviſio vel multiplicatio numeralis corporis; ſequitur etiam, quòd in multiplicatione præſentiarum Sacramentalium multiplicetur idem corpus numero. Præterea præſentia naturalis & Sacramentalis ſolùm in hoc differunt, quòd naturalis habet modum quantitativum, Sacramentalis nequaquam. Hæc autem differentia nihil facit ad hoc, quòd una poſſit multiplicari, non alia, quia ratio repugnantiæ, quòd duæ præſentiæ naturales non poſſint ineſſe eidem corpori, eſt, quia illæ præſentiæ ſunt diſtinctæ & diſcretæ. Unde non poſſunt multiplicari ſecundum adverſarios, niſi corpus idem numero multiplicetur. Et per hæc impugnatur reſponſio Capreoli, qui dicit, non eſſe parem rationem de præſentia Sacramentali & naturali. Ait enim, implicare contradictionem, duas vel plures præſentias naturales ineſſe eidem corpori ſimul, non duas Sacramentales. At oſtenſum*

eſt,

eſt, in hoc eandem eſſe rationem de utraque. Unde ſi duæ præſentiæ naturales, reſpectu ejuſdem corporis, eſſent formaliter oppoſitæ, neque præſentia Sacramentalis, & naturalis poſſent eſſe ſimul in eodem corpore: quia conveniunt in hoc, quod cauſa repugnantiæ eſſe videtur; ſcilicet, quia utraque præſentia definit & circumſcribit corpus in uno determinato loco; Corpus enim Chriſti in Euchariſtia ita eſt ſub illis accidentibus, quòd extra illa nequaquam reperitur. Ergo habet ibi determinatum locum. Ergo præſentia Sacramentalis eſt æquè determinata & definita, ſicut naturalis. Licèt ergo differant in modo eſſendi in loco quantitativè & naturalis differt à modo eſſendi in loco Sacramentali, quia ille extenditur ad partes loci, & commenſuratur loco, iſte non. Hoc non facit, quòd hæc præſentia ſit indiffinita & illimitata, illa non, quia etiam in præſentia Sacramentali corpus Chriſti eſt ſolùm in loco accidentium, non alibi, ubi non eſt Sacramentum. An etiam hæc verba à me conficta eſſe, D. Paroche, clamabis? Interim in iis & propoſitionem Syllogiſmi noſtri ſolidè confirmatam, & ſimul reſponſionem tuam, *quòd videlicet juxta S. Thomam contradictionem implicet, ut unum corpus ſimul in duobus locis eſſe poſſit circumſcriptivè*, adeò ut hoc *ne per mille quidem miracula fieri poſſit*, eruditè & ex vero diſcuſſam & prorſus eliſam videas licet. Fateor certè, contradictionem implicare, ut corpus unum in pluribus locis circumſcriptivè exiſtat: neque vel iliada miraculorum ad hoc ſufficere. Ut verò unum corpus in pluribus locis ſit, in uno circumſcriptivè, in altero penetrativè, ſeu, uti loquuntur, Sacramentaliter, id verò non minùs, imò magis etiam, & duobus quidem nominibus contradictionem implicat, adeò ut, ne plures quidem miraculorum iliades ad id ſufficere poſſint. Primò enim contradictionem implicat, idem corpus ſecundum ſe totum eſſe in duobus vel pluribus locis. Ratio repugnantiæ, eſt, quia duæ præſentiæ ſunt diſtinctæ & diſcretæ, quæ ipſum corpus ſublata unitate, multiplicant, adeóque idem numero, & non idem numero, ob diſcretam videlicet & diſtinctam præſentiam, efficiunt. Quæ ratio repugnantiæ evidens eſt, ſive duæ præſentiæ circumſcriptivæ, ſive una circumſcriptiva, altera penetrativa ponatur. Secundò contradictionem implicat, corpus verum, naturale, habens carnem & oſſa, in loco eſſe *penetrativè* & *indiviſibiliter*. Ejuſmodi enim corpus foret *corpus* & *non corpus*, ſed *Spiritus*, quippe non habens carnem & oſſa, partes poſitione diſtinctas. Manet ergo pluſquam adamantino nexu adſtricta propoſitio, quam ob rationes allatas ex Scoto noſtram facimus: *In quibuscunque locis ſimul poteſt corpus eſſe per miraculum corporaliter, ſubſtantialiter, ſeu penetrativè & indiviſibiliter, in iis locis ſimul poteſt eſſe per miraculum circumſcriptivè.* In poſteriori enim ſimplex eſt ratio repugnantiæ, quæ in priori duplex eſt. Id qui non videt, næ is talpa Tireſia cæcior eſt. Utique enim quod corpus modo na-

turali

turali, circumſcriptivo videlicet, etiam per miraculum, ſimul eſſe in alio loco nequit: illud multò minùs etiam per miraculum ſimul in alio loco modo non naturali, penetrativo, & indiviſibili eſſe poteſt. Faciliùs modus naturalis etiam ſine miraculo conſervatur, quàm naturæ contrarius, vel ſaltem ſupernaturalis etiam per miraculum inducitur.

LXXVI. Nunc ergo ad Minorem, quæ ſic habet: *Atqui corpus Chriſti non poteſt per miraculum ſimul eſſe in pluribus locis circumſcriptivè.* Quicquid autem fiat de rationibus probandæ hujus minoris in loco allatis, de quibus non contendam, quia aliò pertinere ingenuè fatendum, (Durandus enim *in 4. Sent. diſt.* 10. *q.* 2. argumenta illa affert adverſus ſententiam illorum, qui ſtatuunt, *corpus Chriſti eſſe in Sacramento cum tota ſua propria quantitate dimenſiva, non tamen ſecundum proprium modum quantitatis non dimenſivè, ſed indiviſibiliter.* Vnde verò hunc in locum irrepſerint, ne quidem dicere habeo.) ipſam certè propoſitionem non tantùm eſſe Thomæ, ſed etiam firmiſſimis inniti rationum fulcris, adeò certum eſt, ut ipſe Adverſarius, in exagitandis alioquin tragicè probationibus omnes modeſtiæ limites egreſſus, id ire inficias auſus non fuerit. Et Thomas quidem *quodlib.* 1. *a,* 22. *ad* 1. *& quod l.*3. *a.*1. duplicis circumſcriptivæ ad duo loca adæquata unius corporis præſentiæ repugnantiam inde aſſerit, quia *corpus localiter eſſe in loco, nihil aliud ſit, quàm circumſcribi ac comprehendi à loco ſecundum commenſurationem propriarum dimenſionum. Quod autem comprehenditur à loco aliquo, ita eſſe in loco illo, ut nihil ejus extra locum eum ſit. Vnde ponere, quòd localiter ſit in hoc loco, & tamen ſit in alio, eſſe ponere contradictoria.* Scoti imbelles ratiunculas & exceptiones ſolidè diſcuſſas videre licèt apud Iohannem Forbeſium à Corſe *Inſtruct. Hiſtor. Theolog. lib. XI. cap.* 6. *Ss.* 24. 25. *&c.* nec non Auguſt. Reding *Theol. Scholaſt. Tom. IV. artic.* 1. *quæſt.* 13. *controverſ.*3. Cùm ergo & major propoſitio ſolidiſſimarum rationum, quas Adverſarius infringere nunquam poterit, munimento inſiſtat, & ab ipſis Scotiſtis pro certa habeatur; minor verò ſua luce radiet, & à Thomiſtarum quoque Schola, tanquam firmiſſima, admittatur, neque ab Adverſario noſtro vi veritatis ſubacto impugnetur, immotâ igitur inde conſequentiâ concluſio iſta reſultat: *Ergo corpus Chriſti non poteſt per miraculum ſimul eſſe in pluribus locis* (in uno circumſcriptivè) *in alio verò corporaliter; penetrativè & indiviſibiliter*; adeóque Syllogiſmus ex diſſentientibus Scholaſticorum Doctorum aſſertionibus argumentoſis, cuſus, tanquam *evidentiſſimus*, firmiter adhuc & inconcuſsè perſtat. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

F I N I S.

70326

Digitized by Google

Digitized by Google